

FIDELIS ELIZONDO, O.F.M.Cap.

DISQUISITIO HISTORICA
DE PRAECEPTORUM DESCRIPTIONE ET ENUMERATIONE
IN REGULA FRANCISCANA

EXTRACTUM
ex *Collectanea Franciscana*
37 (1967) 250-285

ROMAE,
Institutum Historicum O.F.M.Cap.
Via Boncompagni, 71



FIDELIS ELIZONDO, O.F.M.Cap.

de M. R. P. Melchor
de Polanco, en
sine anno, en
frank
de anno

DISQUISITIO HISTORICA
DE PRAECEPTORUM DESCRIPTIONE ET ENUMERATIONE
IN REGULA FRANCISCANA

EXTRACTUM
ex *Collectanea Franciscana*
37 (1967) 250-285

R O M A E
Institutum Historicum O.F.M.Cap.
Via Boncompagni, 71

DISQUISITIO HISTORICA
DE PRAECEPTORUM DESCRIPTIONE ET ENUMERATIONE
IN REGULA FRANCISCANA *

Omnibus notum est usque ad nostra tempora Ordinem franciscanum admisisse in Regula aliqua mandata sub gravi obligantia, quae ab omnibus simpliciter *praecepta* appellantur et, saltem a primordiis saeculi XIV in tres species clare dividuntur, scilicet, praecepta expressa seu eminentia, praecepta vim habentia et praecepta aequipollentia¹.

Etsi, saeculorum decursu, hanc pacificam possessionem aliqui doctores impugnaverint², Ordo semper admisit in Regula praecepta sub gravi, documentis pontificiis innisus³, et hoc, sive per constitu-

(*) In nostra elucubratione sequentes adhibemus abbreviaciones:

AFH = *Archivum Franciscanum Historicum*.

ALKG = *Archiv für Literatur- und Kirchengeschichte des Mittelalters*.

BF = *Bullarium Franciscanum*, 7 vol., Romae 1759-1904.

Epitome = C. EUBEL, O.F.M.Conv., *Bullarii Franciscani epitome*, Ad Claras Aquas 1908.

¹ Cf. FIDEL [ELIZONDO] DE PAMPLONA, O.F.M.Cap., *Origen de la obligatoriedad de la Regla franciscana*, Roma 1956; A. GHINATO, O.F.M., *De Ordinibus agendi ratione ad Regulam S. Francisci*, in *Antonianum* 35 (1960) 3-47; HILARIUS A WINGENE, O.F.M.Cap., *Sancti Francisci fundatoris « spiritus propriaeque proposita »*, in *Laurentianum* 7 (1966) 359-381.

² V. gr., A. ESQUIVEL, O.F.M., *Exposición chronohistórica de la Regla de N.S.P.S. Francisco*. Obra póstuma, [Chile], Imprenta del Estado Chileno, 1820. Cf. GERONYMO JOSEPH DE CABRA, O.F.M.Cap., *Carta pastoral en la que confirma a sus hermanos y exhorta a sus súbditos en la doctrina sana y verdadera de la seráfica Regla y sus preceptos y redarguye a los que la han contradicho*, vol. I, Córdoba 1800; vol. II, Córdoba 1801; DIEGO JOSÉ DE CÁDIZ, O.F.M.Cap., *Epistola*, editada por P. HERNÁNDEZ, O.F.M., *Notas de bibliografía franciscana*, in *Archivo ibero-americano* 21 (1924) 69-76; FORTUNATO DE SANTIAGO, O.F.M.Cap., *Una polémica acerca de la Regla franciscana a finales del siglo XVIII y principios del XIX - Antonio Esquivel y su doctrina*, in *Laurentianum* 6 (1965) 182-220; Id., *Doctrinas acerca de la Regla franciscana en los siglos XVIII-XIX, y líneas fundamentales del sistema de Antonio Esquivel*, in *Laurentianum* 7 (1966) 321-358, 466-485. Vide etiam, magna tamen cum cautela, A. BONI, O.F.M., *Disciplina religiosa e aggiornamento conciliare*, Roma 1967. Cf. A. MATANIĆ, O.F.M., *Adempire il Vangelo. Commento letterale e spirituale della Regola di san Francesco d'Assisi*, Roma [1967], 17-28, 35 s. Sed vide contra L. BABBINI, *Breve esegesi della dichiarazione « Exivi de Paradiso » di Clemente V*, in *Vita minorum* 37 (1967) n.3.4, p.42-47.

³ Cf., v.gr., GREGORIUS IX, *Quo elongati*, 28 sept. 1230, in BF I, p.68a-70b; INNOCENTIUS IV, *Ordinem vestrum*, 14 nov. 1245, in BF I, p.400a-402b; NICOLAUS III, *Exiit qui seminavit*, 14 aug. 1279, in BF III, p.404b-416b; CLEMENS V, *Exivi de paradiso*, 6 maii 1312, in BF V, p.80a-86a; INNOCENTIUS XI, *Sollicitudo pastoralis*, 20 nov. 1679, in *Monumenta selecta iuris regularis*, Ad Claras Aquas 1913, p.59-64. Cf. nostrum libellum supra memoratum p.91-95, 120-124.

tiones⁴, sive per expositores tum antiquos, tum recentiores, tum hodiernos⁵.

Sed si ex hoc generali principio ad casus concretos, id est, ad praeceptorum numerum, descendamus, non mediocris restat concertatio. Etenim ex una parte, Regulae commentatores, si paucissimos excipias, principium de existentia aliquarum gravium obligationum admittunt; ex altera vero parte disputatum est circa eorumdem numerum, tum primo saeculo franciscano, in quo acris habita est controversia, tum, etsi minoris momenti, saeculis posterioribus, cum doctores loquantur de viginti quatuor, viginti quinque, triginta, quadraginta et etiam plus quam sexaginta praeceptis.

De hoc argumento agentes necessarium duximus in primis proclamare bullam *Exivi de paradiso* (6 maii 1312) Clementis V praecipuum continere robur ad rem melius historice dilucidandam. Ideo nostram elucubrationem in duas dividimus partes, loquentes: 1) de auctorum sententiis usque ad eiusdem decretalis promulgationem; 2) de expositorum doctrina post bullam *Exivi de paradiso*. Nos agimus tantum *de descriptione et numero* praeceptorum.

I. - DE PRAECEPTORUM NUMERO USQUE AD BULLAM « EXIVI DE PARADISO » CLEMENTIS V (6 maii 1312)

Haec periodus potest in duas dividi partes, scilicet, primam a sancto Francisco usque ad bullam *Exiit qui seminat* Nicolai III (14 augusti 1279); secundam, usque ad bullam *Exivi de paradiso* Clementis V.

Momentum huius periodi facile patet tum ex ipsius legislatoris mentis dilucidatione, tum ex priorum Romanorum Pontificum qui de Regula scripserunt sententiis, tum ex antiquiorum expositorum

⁴ Cf., e.gr., *Constitutiones sambucenses*, Romae 1663, in *Chronologia historico-legalis*, II, Venetiis 1718, in fine, p.5a-5b; *Constitutiones conventualium*, Romae 1628, c.1, titulus 6, n.3, p.22; *Id.*, Romae 1932, c.1, tit. 6, n.22, p.22.

⁵ Cf., v.gr., QUATUOR MAGISTRI, *Expositio super Regulam fratrum minorum*, ed. L. OLIGER, O.F.M., Roma 1950, c.2, p.127; HUGO DE DIGNA, *Expositio Regulae fratrum minorum*, ed. *Firmamentum trium Ordinum*, Venetiis 1513, pars III, c.2, f.33vb-35ra; S. BOEVAVENTURA, *Expositio super Regulam*, ed. *Opera omnia*, VIII, Ad Claras Aquas 1898, c.7, n.2, p.426a; c.10, n.2, p.431b; conclusio, p.436b-437a; IOANNES PECHAM, *Expositio Regulae*, ed. *Firmamentum trium Ordinum*, Venetiis 1513, pars III, c.1, f.72vb, 73ra, 74vb; IOANNES VALENSIS, *Declaratio super Regulam*, ed. citata, c.4, f.102ra; GUNDISALVUS HISPANUS, *Tractatus de praeceptis Regulae*, ed. *Monumenta Ordinis minorum*, Salmanticae 1506, tractatus III, f.98v-99r; ANTONIUS DE CORDUBA, O.F.M., *Dilucida expositio super Regulam fratrum minorum*, Matriti 1616, c.1, q.1, f.24v; P. NAVARRO, O.F.M., *Exposición de la Regla de N.Seráfico P.San Francisco*, Madrid 1641, c.1, q.1, p.28; P. MARCHANT, O.F.M., *Expositio litteralis in Regulam S. Francisci*, Antuerpiae 1631, titulus I prooemialis, q.4, p.15; MARTIN DE SAN JOSÉ, O.F.M., *Breve exposición de los preceptos*, Zaragoza 1638, 369; LEANDRO DE MURCIA, O.F.M.Cap., *Cuestiones selectas regulares y exposición sobre la Regla de los frailes menores*, Madrid 1645, c.2 super c.1 Regulae, § 5, p.11b-12b. Cf. nostram elucubrationem *Origen de la obligatoriedad de la Regla franciscana*, Roma 1956, p.9-19.

doctrinis, inter quos eminent Quatuor Magistri, Hugo de Digna, sanctus Bonaventura, Ioannes Pecham et Petrus Ioannis Olivi.

1. - *A sancto Francisco usque ad bullam « Exiit qui seminat » Nicolai III (14 augusti 1279)*

Ante saeculum XII religiosi non disputarunt, quod sciamus, de natura iuridica et morali obligationum a Regulis praescriptarum. Ipsaemet leges altum de argumento servarunt silentium. Eorundem commentatores doctrinam spiritualem in eis contentam explanarunt, minime vero iuridicam et moralem. Sed medio saeculo XII initium sumpsit acris controversia multiplicibus rationibus innisa. Etenim cisterciensium familiae turbulenta origo, praecepta quae Romani Pontifices monachis gyrovagis imponebant ut propriam aut aliam religionem amplecterentur, publicus Regularum character quem iam non semel legislatio fundamentalis per bullam approbatoriam obtinebat, scholasticae disciplinae cultus qui ad innumerabiles disputationes de omni re scibili vocabat: haec et alia fuerunt non mediocris momenti causae amplissimarum de argumento saeculis XII et XIII discussionum, quippe cum de materia non spernenda ageretur, immo circa practicas cotidianas quaestiones versaretur⁶.

Monachi carnotenses iam saeculo XII magnas habuerunt disceptationes. Fundamentalis quaestio in hoc stabat: utrum omne quod sancti Benedicti Regula praescribit, praeceptum grave constituat necne. His discussionibus solliciti, sanctum adiverunt Bernardum ut suam de re exponeret sententiam, qui, horum dubitationum occasione, celeberrimum saeculis XII et XIII scripsit opus, *De praecepto et dispensatione* nuncupatum, quod ab omnibus tunc temporis auctoribus qui super argumento disceptarunt, directe vel indirecte, explicite vel implicite fuit transcriptum⁷. Sanctus doctor suam diluit sententiam et quamvis aliquando videatur asserere omne quod Regula benedictina continetur, esse obligatorium sub gravi praecepto, tamen, cum verbum *praeceptum* indistincte adhibeat ad graves et leves obligationes significandas⁸, putamus sanctum Bernardum autumare monachum tum grave committere peccatum cum ex contemptu aliquod violet manda-

⁶ Cf. C. MAZÓN, S.I., *Las Reglas de los religiosos. Su obligación y naturaleza jurídica*, Romae 1940, p.184-189; FIDEL [ELIZONDO] DE PAMPLONA, *Obligatoriedad de las Reglas en los siglos XII y XIII*, en *Revista española de derecho canónico* 8 (1953) 761-793.

⁷ S. BERNARDUS, *De praecepto et dispensatione*, in PL 182, col.859-894.

⁸ « Omnia proinde sancti Benedicti instituta [aliquibus exceptis]... non profitentibus quidem monita tantum seu consilia censenda sunt, nec gravant non observata; cum tamen profitentibus in *praecepta*, praevaricantibus in crimina fiant, sive (ut vestra vobis reddam) illis voluntaria vel facticia, istis necessaria et tamquam naturalia non immerito reputantur » (S. BERNARDUS, *l.cit.*, c.1, n.2, col.862).

tum⁹. Eodem tempore monachi hibernici similes habebant discussiones; ut ex sancti Aelredi operibus aperte comprobatur¹⁰.

Saeculo XIII creverunt hae disputationes et tum simplices religiosi, tum celebres doctores acriter de argumento disceptarunt. Omnes sese interrogabant num Regula vel aliquod determinatum mandatum praeceptum constitueret necne. Omnes facile admittebant verum praeceptum sub gravi obligare¹¹. Ideoque multi legis terminologiam plus aequo consulebant, ita ut quasi unice ad eam convolarent. Hoc sensu, clarum est non paucis terminologiam Regulae principem occupasse locum et consequenter religiosos eam examinasse ad invenienda verba *praecepti* significantia. Sed hic fuit eorum error, cum huiusmodi doctrinam saeculorum XII et XIII, ad Regulas saeculis anteactis scriptas voluerint accommodare.

Legis terminologia multoties rigida erat. « *Haec sunt quae ut observetis praecipimus in monasterio constituti* » (Regula sancti Augustini)¹²; « *Obsculta, o fili, praecepta magistri* » (Regula sancti Benedicti)¹³. Haec secunda Regula frequenter utitur verbis *praecipere, praeceptum*¹⁴, tantis discussionibus obnoxiiis¹⁵. Regula sancti Stephani de Muret verbum *praecipere*¹⁶ et alias emphaticas clausulas¹⁷ adhibet. Hoc terminologiae robur etiam apparet in Templariorum et Ordinis sancti Spiritus Regulis, etenim suis terminis *praesumere*¹⁸, *praeci-*

⁹ Cf., v.gr., c.8, n.17 s, col.870 s; c.11, n.25 s, 28, col.875 ss; c.12, n.30, col.877 s; c.13, n.32 s, col.879 s. Ad doctrinam sancti Bernardi investigandam conferantur in primis capita 8 et 13, col.870 s, 878 ss.

¹⁰ Cf. S. ABLREDUS, *Speculum caritatis*, liber III, c.35: *Disputatio contra cuiusdam epistolam de monachorum Regula et professione*, in PL 195, col.608-613.

¹¹ Cf., v.gr., G. PEYRAUT, O.P., *Tractatus de professione monachorum*, pars I, c.10, col.604, in B. PEZ, *Thesaurus anecdotorum novissimus*, I, Augustae Vindelicorum 1721, pars II, col.567-650; HUMBERTUS DE ROMANIS, O.P., *De vita regulari*, I, 62-65, ed J.J. BERTHIER, Romae 1888-1889; S. THOMAS, II-II, q.186, a.9; QUATUOR MAGISTRI, O.Min., *Expositio super Regulam fratrum minorum*, c.2, p.127, ed. L. OLIGER, Roma 1950; HUGO DE DIGNA, O.Min., *Expositio Regulae fratrum minorum*, c.2, f.47r-48v, ed. *Monumenta Ordinis minorum*, Salmanticae 1506, tractatus III.

¹² Ed. D. DE BRUYNE, O.S.B., *La première règle de saint Benoît*, in *Revue bénédictine* 42 (1930) 320.

¹³ Ed. C. BUTLER, O.S.B., *Sancti Benedicti regula monachorum*, Friburgi Brisgoviae 1912, p.1.

¹⁴ S. BENEDICTUS, *Regula monachorum*, c.2, p.12; c.4, p.23; c.7, p.34; c.21, p.53; c.23, p.55; c.51, p.89; c.54, p.95; c.62, p.108.

¹⁵ Etiam adhibet verba *iniungere* (c.7, p.35; c.31, p.63; c.47, p.82), *disponere* (c.65, p.115), *constituere* (c.70, p.120), *praesumere* (c.3, p.19; c.20, p.52; c.26, p.57; c.31, p.63; c.33, p.64; c.38, p.72; c.47, p.83; c.51, p.89).

¹⁶ S. STEPHANUS DE MURET, *Regula*, c.31, col.1150; c.33, col.1151; c.43, col.1153; c.46, col.1154; c.57, col.1158; c.61, col.1160; c.65, col.1162 (ed. PL 204, col.1135-1162).

¹⁷ V.gr., omnino prohibemus, nullatenus accipiatis, nullatenus habeatis, omnino caveat... (cf., v.gr., c.4, col.1140; c.6, col.1142 s; c.9, col.1143; c.15, col.1146; c.20, col.1147; c.22, col.1148; c.28, col.1149; c.32, col.1150; c.40, col.1153).

¹⁸ S. BERNARDUS, *Regula templariorum*, n.35, p.436; n.46, p.437; n.6, p.433; n.20, p.435; n.27, 34, p.436; n.41, 44, p.437 (ed. HOLSTENIUS-BROCKIE, *Codex regularum monasticarum et ca-*

*pere*¹⁹ et aliis²⁰, religiosis amplam discussionum materiam praebebant. Idem dicendum est de legislatione dominicana, cum illic appareant et verbum *teneantur*, quo imponuntur obligationes momentosae²¹ et clausulae non mediocri vi ornatae²² et etiam terminus *praecipere* cum poena excommunicationis aliquando coniunctus²³.

Nihil proinde mirum si tum simplices religiosi, tum doctores, his legis expressionibus suffulti, acriter de argumento disceptarunt.

Fratres praedicatores de constitutionum et capitulorum generalium decisionibus non semel concertarunt²⁴. Aliqui propugnabant constitutionum obligationem sub culpa, ceteris vero contradicentibus²⁵. Cito, anno 1236, in ipsa legislatione alte proclamaverunt eam ex se non obligare ad culpam, sed tantum ad poenam, « *nisi propter contemptum vel praeceptum* »²⁶. Humbertus de Romanis († 1277), magister Ordinis generalis, undecim recensebat praecepta²⁷. Praemonstratenses, iisdem discussionibus permoti, similem in praxi conclusionem adhibuerunt²⁸. Aliquae moniales quae Regulam a cardinali Hugolino exaratam sequebantur, non mediocres habuerunt dubitationes circa mandata ab ea indicta; non paucae, enim aestimabant ea *sub gravi* esse constituta²⁹, quod negavit ipsemet Romanus Pontifex Alexander IV³⁰.

nonicarum, II, Augustae Vindelicorum 1759, p.429-440); *Regula Ordinis sancti Spiritus*, c.6, col.1140; c.17, col.1142; c.31, col.1144; c.62, col.1148; c.91, col.1153 (ed. PL 217, col.1129-1136).

¹⁹ *Regula templariorum*, n.4, 7, p.433; n.14, p.434; n.21, p.435; n.36, 44, p.437; n.47, 49, 53, p.438; *Regula Ordinis sancti Spiritus*, c.53, col.1147; c.74, col.1150.

²⁰ V.gr., omnino prohibemus, eadem Regula indeclinabiliter observetur, omnino contradicimus, nolimus ut omnino, vitamus igitur et audacter contradicimus (cf. *Regula templariorum*, n.3, p.433; n.17, p.434; n.28 s, p.436; n.37, 42, p.437. *Regula Ordinis sancti Spiritus*, c.15, col.1141; c.69, col.1149; c.72, col.1150).

²¹ *Constitutiones fratrum praedicatorum*, an. 1241, distinctio II, n.3, p.50 (ed. R. CREYTENS, O.P., *Les constitutions des frères prêcheurs dans la rédaction de S. Raymond de Peñafort [1241]*, in *Archivum fratrum praedicatorum* 18 [1948] 5-68). Cf. etiam distinctio II, n.4, p.51 s; n.8, p.59; n.14, p.66.

²² *Constitutiones*, *l.cit.*, n.8, p.57, 59; n.4, p.53; n.4, p.52; n.8, p.58 s; n.1, p.48.

²³ *Constitutiones*, *l.cit.*, n.4, p.52; n.4, p.53; n.8, p.58 s.

²⁴ Cf. HUBERTUS DE ROMANIS, O.P., *De vita regulari*, II, p.45 s (ed. BERTHIER, Romae 1889); *Acta capitulorum generalium Ordinis praedicatorum*, I, in *Monumenta Ordinis praedicatorum historica*, III, p.36, 64.

²⁵ HUBERTUS DE ROMANIS, *l.cit.*

²⁶ *Acta capitulorum generalium Ordinis praedicatorum*, I, p.8; *Constitutiones an. 1241*, in *Archivum fratrum praedicatorum* 18 (1948) 29.

²⁷ HUBERTUS DE ROMANIS, *l.cit.*, II, 53. Fratres praedicatores, vero, adhuc de obligatione actorum capitulorum generalium disceptarunt. Cf. *Acta capitulorum generalium Ordinis praedicatorum*, I, p.36, 64.

²⁸ Cf. HUBERTUS DE ROMANIS, *l.cit.*, 47.

²⁹ Cf. ALEXANDER IV, *Haberi percepimus*, 27 aug. 1258, in BF II, p.307a, INNOCENTIUS IV, *Cum universitati vestrae*, 21 aug. 1244, in BF I, p.350ab.

³⁰ « Et ut omnis conscientis vestris auferatur turbationis materia, vobis, dilectae filiae, notum facimus per praesentes quod nos, qui mentem instituentis Regulam eandem agnoscimus, sentimus et scimus, quod felicitis recordationis domini Gregorii papae non fuit in-

Si a simplicibus religiosis ad saeculi XIII veniamus doctores, non semel eandem invenimus quaestionem: « *Utrum omnia quae sunt in Regula sint praecepta* »³¹; « *An omnia quae continentur in Regula aestimanda sint praecepta* »³²; « *Utrum transgrediens statuta religionis... peccet mortaliter* »³³; « *Numquid omnia quae continentur in Regula sint in praecepto* »³⁴; « *Utrum religiosus semper peccet mortaliter transgrediendo ea quae sunt in Regula* »³⁵; « *Quaeritur de praeceptis Regulae* »³⁶. His vel similibus verbis saeculi XIII doctores disputarunt de natura et ambitu regularium obligationum. Quamvis non una eademque fuerit eorum sententia, possumus tamen affirmare eos paulatim generaliter asseruisse leges, qua tales, ad peccatum mortale non obligare. In praeceptorum, vero, determinatione maior fuit concertatio. Sed omnes semper alte proclamarunt, ut iam diximus, verum praeceptum gravem imponere obligationem. Saeculis posterioribus multum disceptatum est de Regularum natura iuridica et morali: Nunquid ex se obligent ad culpam? Sintne verae leges ecclesiasticae? Saeculo vero XIII primum procul dubio locum occupavit earumdem obligatio sub peccato mortali et in primis utrum determinatum mandatum constituerit praeceptum necne³⁷.

S. FRANCISCUS in *Regula bullata* ab Honorio III anno 1223 sollemniter approbata³⁸, nihil dicit explicite de eiusdem obligatione, nec hoc evidenter potest inferri ex eiusdem vita et scriptis. In *Regula* semel loquitur de peccatis mortalibus, sed non respectu habito ad *Regulae* transgressiones³⁹. Nihilo secius extra discussionum ambitum

tentio, nec est nostra, laqueum vobis inicere in silentio, ieiunio, lectis et aliis pluribus quae continentur in *forma vitae* ab ipso data, cum vir piissimus et discretissimus fuerit et tanta vos dilectione ac beneficiorum provisione persecutus extiterit; aut ad transgressionem mortalis peccati, si vos contrarium contingeret facere suis ordinationibus, vos, sicut vobis ab aliquibus suggeritur, obligare » (ALEXANDER IV, *Haberi percepimus*, p.307a).

³¹ BERNARDUS I, O.S.B., *Speculum monachorum*, Friburgi Brisgoviae 1901, p.97-122.

³² G. PEYRAUT, O.P., *Tractatus de professione monachorum*, pars I, c.10, col.603-608 (ed. PEZ, *Thesaurus anecdotorum novissimus*, I, Augustae Vindelicorum 1721, pars II, col.567-650).

³³ HENRICUS GANDAVENSIS, *Aurea quodlibeta*, Venetiis 1613, quod. III, q.21, in v.I, f.128va-129rb; quod.VI, q.17, in v.I, f.360ra-360vb.

³⁴ HUMBERTUS DE ROMANIS, *l.cit.*, I, p.62-65.

³⁵ S. THOMAS, II-II, q.186, a.9. Et in suis quaestionibus quodlibetalibus quaeritur « *utrum monachus peccet mortaliter comedendo carnes* » (S. THOMAS, *Quaestiones duodecim quodlibetales*, Venetiis 1593, quod. I, q.9, a.20, f.6rb-6va).

³⁶ S. BONAVENTURA, *Expositio super Regulam fratrum minorum*, in *Opera omnia*, VIII, Ad Claras Aquas 1898, Conclusio, n.1, p.436b-437a.

³⁷ Cf. C. MAZÓN, S.I., *Las Reglas de los religiosos*, Romae 1940; FIDEL [ELIZONDO] DE PAMPLONA, *Obligatoriedad de las Reglas en los siglos XII y XIII*, in *Revista española de derecho canónico* 8 (1953) 761-793.

³⁸ HONORIUS III, *Solet annuere*, 29 nov. 1223, in *Seraphicae legislationis textus originales*, Ad Claras Aquas 1897, p.35-47.

³⁹ « Si qui fratrum, instigante inimico, mortaliter peccaverint pro illis peccatis de quibus ordinatum fuerit inter fratres ut recurratur ad solos ministros provinciales... » (*Regula*, c.7, p.69, ed. Ad Claras Aquas 1949).

est aliqua eiusdem mandata sub gravi obligasse, scilicet Ordinis exitum, oboedientiam superioribus praestandam, suspecta mulierum consortia, etc., cum in his casibus sanctus patriarcha praecepta ecclesiastica vel naturalia acceptasset. Hoc non est oblivioni dandum. Adiutorium enim potest constituere ad meliorem adipiscendam ceterorum statutorum cognitionem.

Quamvis explicite de obligatione non agatur, tamen in Regula inveniuntur sub hoc respectu verba sollemnissima in his decisionibus⁴⁰:

1. - « *Praecipio firmiter fratribus universis ut nullo modo denarios vel pecuniam recipiant per se vel per interpositam personam* » (c. 4, p. 67);

2. - « *Praecipio firmiter fratribus universis ne habeant suspecta consortia vel consilia mulierum* » (c. 11, p. 73);

3. - [*Praecipio firmiter fratribus universis*] « ne ingrediantur monasteria monacharum, praeter illos quibus a sede apostolica concessa est licentia specialis » (c. 11, p. 73);

4. - [*Praecipio firmiter fratribus universis*] « nec fiant compatres virorum vel mulierum, ne hac occasione inter fratres vel de fratribus scandalum oriatur » (c. 11, p. 73);

5. - « *Unde firmiter praecipio eis ut oboediant suis ministris* » (c. 10, p. 72);

6. - « *Ad haec per oboedientiam iniungo ministris ut petant a domino Papa unum de sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, qui sit gubernator...* » (c. 12, p. 74);

7. - « *Et nullus fratrum populo penitus audeat praedicare, nisi a ministro generali huius fraternitatis fuerit examinatus* » (c. 9, p. 71);

8. - « *Et nullo modo licebit eis de ista religione exire* » (c. 2, p. 65);

9. - « *Universi fratres unum de fratribus istius religionis teneantur semper habere generalem ministrum* » (c. 8, p. 70);

10. - « *Et ei [ministro generali] teneantur firmiter oboedire* » (c. 8, p. 70);

11. - « *Electio successoris fiat... in capitulo Pentecostes, in quo provinciales ministri teneantur semper insimul convenire* » (c. 8, p. 70);

12. - « *Si qui fratrum, instigante inimico, mortaliter peccaverint... teneantur praedicti fratres ad eos [ministros provinciales] recurrere quam citius poterint sine mora* » (c. 7, p. 69);

⁴⁰ Adhibemus editionem Regulae a patribus Collegii sancti Bonaventurae, *Opuscula sancti patris Francisci*, Ad Claras Aquas 1949, p.63-74.

13. - « Et si aliquo tempore appareret universitati ministrorum... praedictum ministrum non esse sufficientem... *teneantur* praedicti fratres... in nomine Domini alium sibi eligere in custodem » (c. 8, p. 70);

14. - « Et alii fratres *teneantur* fratri Francisco et eius successoribus oboedire » (c. 1, p. 63);

15. - « Aliis autem temporibus *non teneantur* nisi sexta feria ieiunare » (c. 3, p. 66);

16. - « Fratres *nihil* sibi approprient *nec* domum *nec* locum *nec* aliquam rem » (c. 6, p. 68).

Sancto Francisco anno 1226 e visis sublato, statim discussiones de Regula creverunt. In capitulo generali Assisii 1230 celebrato, acriter fratres disceptarunt, sed, cum nihil proficerent, Romanum Pontificem adeunt ut quaestiones auctoritative resolvat⁴¹. Omnes admittunt aliqua regularia mandata obligare sub gravi. De hoc nullum dubium nullaue controversia. Sed de obligationum extensione multum inter se disputant. Aliqui putant Regulam omnia imponere evangelica consilia; in eiusdem enim initio et fine aperte Evangelii observantiam mandari⁴². Alii vero contendunt sese in professione voluisse obligare ad ea tantum « *quae in ipsa Regula praeceptorie vel inhibitorie sunt expressa* »⁴³, cum vix aut nunquam omnia possint ad litteram observari⁴⁴. Gregorius IX sequentem offert solutionem: fratres minores tantum obligantur ad ea quae in Regula « *praeceptorie vel inhibitorie sunt expressa* »⁴⁵. Sed his generalibus verbis, etsi iam stabiliatur quoddam principium circa *aliquorum* praeceptorum existentiam, de facto non magnam affert quaestionis dilucidationem. Romanus Pontifex et multi fratres putant obligationes sese extendere ad ea quae *praeceptorie*, hoc est (iuxta saeculi XIII auctorum doctrinam), sub praecepto affirmativo; vel *inhibitorie*, scilicet, sub praecepto negativo, sunt expressa. Sed quot sunt haec praecepta? Praeterea casus Romano Pontifici propositi ut « *animarum periculis* » provideret, loquebantur: 1) de pecuniae prohibitione (cf. supra n. 1); 2) de expropriatione in communi (n. 16); 3) de casuum reservatione (n. 12); 4) de fratrum

⁴¹ Cf. THOMAS DE ECCLESTON, *Liber de adventu fratrum minorum in Angliam*, in *Anal. Franc.* 1 (1885) 242; *Chronica XXIV generalium Ordinis minorum*, in *Anal. Franc.* 3 (1897) 213. Vide in primis bullam *Quo elongati* Gregorii IX, in EUBEL, *Epitome*, p.229a-231a.

⁴² « Regula et vita minorum fratrum haec est, scilicet, domini nostri Iesu Christi *sanctum evangelium observare* » (c.1, p.63); « Ut semper subditi et subiecti pedibus eiusdem sanctae Ecclesiae... *sanctum Evangelium... quod firmiter promisimus, observemus* » (c.12, p.74).

⁴³ GREGORIUS IX, *Quo elongati*, 28 sept. 1230, p.229b (ed. EUBEL, *Epitome*, p.229a-231a).

⁴⁴ *Ibid.*

⁴⁵ *Ibid.*

receptione; 5) de contionatorum approbatione (n. 7); 6) de custodibus; 7) de ingressu in monialium monasteria (n. 3)⁴⁶.

Quatuor Magistri, primi Regulae expositores, sua auctoritate suaque scientia permagnum exercuerunt influxum in ceteros saeculi XIII Regulae commentatores⁴⁷. Regula, aiunt, dividitur in instructiones, consilia et praecepta⁴⁸, aut melius, in concessiones, instructiones, admonitiones et praecepta⁴⁹. Praecepta sub gravi obligant, cetera vero non⁵⁰. Quae sunt illa praecepta? Quamvis ad eorumdem omnino determinationem ex brevi auctorum tractatu non possumus pervenire, tamen nobis offerunt aliqua non spernenda exempla. Certe sunt praecepta ea omnia quae sub verbis *praecipio firmiter et per oboedientiam iniungo* praescribuntur, nam hoc expresse affirmant de aliis mandatis minori vi imperatis. Praeterea, si dubitari posset num aliquae decisiones constituent praecepta, in primis dubitandum esset de iis de quibus agitur; et tamen Quatuor Magistri unice loquuntur de pecuniae prohibitione⁵¹, de suspectorum consortiorum evitacione et de ingressu in monialium monasteria⁵², sed non ad naturam obligationis investigandam, sed ad eiusdem ambitum declarandum. Expropriatio in communi, iuxta doctorum sententiam, constituit etiam praeceptum, cum, si contrarium dicatur, ridiculum saperent tot distinctiones et subdistinctiones⁵³. Etiam affirmant esse praeceptum sequentem praescriptionem: « *Quibus [ministris] solummodo et non aliis recipiendi fratres licentia concedatur* »⁵⁴. Dubitant de clausula « *ministri vero diligenter examinent eos [recipiendos] de fide catholica* »⁵⁵. Proclives sunt ad gravem obligationem admittendam in prae-

⁴⁶ Inter hos casus a Romano Pontifice memoratos invenimus praecepta eminentia, virtualia et aequipollentia.

⁴⁷ QUATUOR MAGISTRI, *Expositio super Regulam fratrum minorum*. Adhibemus editionem L. OLIGER, *Expositio Quatuor magistrorum super Regulam fratrum minorum (1241-1242)*, Roma 1950.

⁴⁸ QUATUOR MAGISTRI, *Expositio*, c.2, p.127.

⁴⁹ *Ibid.*, c.3, p.140.

⁵⁰ « Quae sit instructio vel praeceptum. Quod si dicatur esse praeceptum, fratres peccare mortaliter convincuntur, si quemlibet religionem nostram petentem non mitterent ad ministrum, quod nullus dicere ausus est. Videtur ergo secundum instructionem dici, non secundum praeceptum » (*ibid.*, c.2, p.127).

⁵¹ *Ibid.*, c.4, p.141-145.

⁵² *Ibid.*, c.11, p.167 s.

⁵³ *Ibid.*, c.6, p.152-158. « Unde ad securitatem conscientiarum petenda esset auctoritas domini cardinalis, qui exprimeret in scriptis de omnibus rebus mobilibus et minutis quibuscumque per superiores dispensandis, sive in commutando, sive in pignorando, sive in accomodando, sive in donando, et procuratoribus necessitatibus fratrum concederet auctoritatem suam vendendi, si necesse esset, cum immineret aliqua necessitas vehemens fratribus » (QUATUOR MAGISTRI, *Expositio*, c.6, p.156).

⁵⁴ *Ibid.*, c.2, p.128.

⁵⁵ *Ibid.*, c.2, p.131.

scriptione laboris: « *Fratres... laborent fideliter et devote* »⁵⁶. Et eam non admittunt in hoc loco: « *In quamcumque domum intraverint primum dicant: Pax huic domui* »⁵⁷. Ex his solutionibus et dubitationibus evidenter demonstratur mandata sub verbo *teneantur* imposita, secundum doctorum doctrinam saeculi XIII sententiis rite innisam, vera constituere praecepta.

Ideoque hoc possumus stabilire principium: paulo post Regulae approbationem fratres *generaliter* et sine dubitatione affirmasse mandata, postea appellata praecepta eminentia et virtualia, constituere vera praecepta et consequenter sub gravi obligare. Diximus *generaliter*, tum ex doctorum auctoritate, tum ex fratrum non contradictione, tum ex indole officiali expositionis⁵⁸.

Hugo de Digna (m. 1255/56) in expositione⁵⁹ distinguit in Regula instructiones, consilia et praecepta⁶⁰ aut consilia, monita et mandata⁶¹. Praecepta sub gravi obligant⁶². Et habentur in primis quotiescumque aliquid sub verbis *praecipere et teneri* ordinatur⁶³. Sed etiam enumerantur alia, v.gr., officium divinum⁶⁴, equitatio⁶⁵, praedictio contra Regulam, scilicet, vel in episcopatu alicuius episcopi nolentis vel sine examinatione⁶⁶. Gregorius IX asserit fratres teneri ad ea quae « *praeceptorie vel inhibitorie* » in Regula sunt expressa. Sed praecepta et inhibitiones, ut aiunt Quatuor Magistri, « *non ex sola praecepti vel inhibitionis nominatione censentur, alioquin tota pene status et voti necessitas annullatur* »⁶⁷. Igitur fratres ex professione

⁵⁶ *Ibid.*, c.5, p.149.

⁵⁷ *Ibid.*, c.3, p.139.

⁵⁸ Expositio Quatuor Magistrorum est responsum *officiale* provinciae parisiensis praescriptioni capituli definitorum generalium Montispessulani coadunatorum, ut unaquaque provincia « *dubitabilia Regulae* » adnotaret. Cf. THOMAS DE ECCLESTON, *De adventu fratrum minorum in Angliam*, in *Anal.Franc.* 1 (1885) 244. Immo Felder affirmat hanc Regulae explanationem a capitulo generali Bononiae anno 1242 celebrato approbatam fuisse (H. FELDER, O.F.M.Cap., *Geschichte der wissenschaftlichen Studien im Franziskanerorden*, Freiburg i. B. 1904, p.214).

⁵⁹ Adhibemus editionem sequentem: *Monumenta Ordinis minorum*, Salmanticae 1506, tractatus III, f.45r-75v.

⁶⁰ HUGO DE DIGNA, *Expositio Regulae*, c.2, f.47r.

⁶¹ *Ibid.*, c.2, f.48v.

⁶² *Ibid.*, c.2, f.47r, 48r, 48v.

⁶³ *Ibid.*, c.2, f.48v.

⁶⁴ *Ibid.*

⁶⁵ *Ibid.*

⁶⁶ *Ibid.*

⁶⁷ *Ibid.* « Sed omne quod vovemus implemus, dum Regulam quam servare promittimus prout est servanda servamus. Ipsam, enim, in sua profitemur efficacia seu virtute, ut quod consulitur sit nobis consilium, quod praecipitur sit nobis praeceptum. Tertium arbitror intentionem dirigere profitentis. Obligamur itaque Regulae prout nos obligat ipsa sibi, quam constat habere consilia, monita et mandata » (*ibid.*). Et paulo post: « Quidve praeceptorie vel inhibitorie censeatur, nunc ex causa utili vel multum congrua mandat. causa, nunc ex praecisa vel obligationis seu praecepti expressiva, ut saepe in Regula ponitur mandati forma, nunc ex mandantis signo atque instantia, nunc ex posita transgressoribus: poena notabili,

debent, praeter tria substantialia vota, alias res observare, vel melius, debent tria vota, partibus integrantibus specificata, ad praxim deducere, quae ad observantias reducuntur regulares. Cum hae sint diversae in unoquoque Ordine, consequenter diversus erit voti ambitus⁶⁸. Observantiae vero regulares in legislatione franciscana, iuxta Hugonis doctrinam, sunt praecepta. Ut aliquod afferamus exemplum, extrema paupertas omnem rerum proprietatem excludit et decem qualitibus est ornata (insignia paupertatis); inter eas habentur habitus deformitas, vestimentorum vilitas, vestium parcitas, pedum nuditas, equitandi prohibitio et pecuniae interdictio⁶⁹. Ordo voto adstringitur ad observantiam insignium paupertatis⁷⁰ et, iuxta Hugonem, in sollemni paupertatis voto nullus superior nec ipsemet Romanus Pontifex potest dispensare⁷¹.

S. BONAVENTURA (1221-1274) in fine suae expositionis super Regulam fratrum minorum⁷², sic quaestionem proponit: « *Quaeritur de praeceptis Regulae, quae, scilicet, universaliter intelligenda sunt praeceptorie imponi et in quibus possint praelati Ordinis dispensare* »⁷³. Et respondet his gravissimis verbis: « *Ad hoc respondeo quod Regula ista praeceptis est plena et, ut puto, pene omnia in ea posita sunt praecepta, ubi aliquid expresse additum, ut monitionis vel exhortationis vocabulum vel consimile, aliud non declarat* »⁷⁴. Evidenter praecepta sub gravi obligant⁷⁵. In Regula dantur tres praeceptorum species, scilicet, praecepta sub verbo *praecipere*, praecepta sub verbo *teneri*, praecepta quae his duobus modis non imponuntur. Prima reducuntur ad vota⁷⁶. Et etiam cetera, ut videtur⁷⁷. In prima specie enumerantur septem ex octo praecepta sic vocata expressa aut eminentia. In secunda, quatuor virtualia. Explicite referuntur tria,

fidelis et prudens subditus pensat, et minora quidem non negligens, maiora tamen maxime curat » (*ibid.*, c.2, f.49r).

⁶⁸ *Ibid.*, c.2, f.48v; Id., *De finibus paupertatis*, p.285, in ed. C. FLOROVSKÝ, *De finibus paupertatis auctore Hugone de Digna, OFM (Texte inédit)*, in AFH 5 (1912) 277-290.

⁶⁹ *De finibus paupertatis*, p.283.

⁷⁰ *De finibus*, p.288.

⁷¹ *De finibus*, p.284.

⁷² S. BONAVENTURA, *Expositio super Regulam fratrum minorum*, in *Opera omnia*, VIII, Ad Claras Aquas 1898, p.391a-437b. Hodie dubitatur de authenticitate. Cf. nostram elucubrationem *Doctrinales Regulae franciscanae expositiones usque ad annum 1517*, in *Laurentianum* 2 (1961) 465 ss.

⁷³ S. BONAVENTURA, *Expositio*, Conclusio, n.1, p.436b.

⁷⁴ *Ibid.*

⁷⁵ Cf. nostram elucubrationem *Origen de la obligatoriedad de la Regla franciscana*, Roma 1956, p.106 s.

⁷⁶ S. BONAVENTURA, *l.cit.*, n.2, p.436b.

⁷⁷ Etenim ait sanctus Bonaventura: « Praeceptorum autem istorum tria sunt genera: in quibusdam enim ponitur expresse *praecipendi* verbum, ut prae ceteris commendentur, et illa *sic transeunt in votum* ut in nullo eorum ordo valeat dispensare » (*ibid.*, n.1, p.436b).

scilicet, obligatio habendi unum de fratribus generalem ministrum⁷⁸, eligendi alium, si primus insufficiens sit⁷⁹, et recurrendi in casibus reservatis ad ministros provinciales⁸⁰. Ieiunium pertinet ad hanc secundam speciem⁸¹. Tertium praeceptorum genus constituitur a mandatis quae per verba *praecipere et teneri* non imponuntur, « *sicut patet in secundo capitulo in pertinentibus ad receptionem ad Ordinem venientium*⁸² et in tertio in spectantibus ad divinum officium et in pluribus aliis consequenter, ubi multa exstant praecepta »⁸³.

Igitur, si Bonaventurae sequamur principia, admittere debemus Regulam fratrum minorum multa continere praecepta, de facto, numerosiora quam a Clemente V enumerata. Ideoque sanctus doctor, qui sua doctrina suaque auctoritate permagnam exercuit influxum in posteriores Regulae commentatores, inter rigidiores Regulae expositores est recensendus.

Ioannes Pecham (1230-1292), sancti Bonaventurae discipulus, admittit ut praecepta quatuor virtualia sub verbo *teneantur* praescripta⁸⁴; eminentia, de quibus aliqua profert exempla cum de votorum ambitu loquatur⁸⁵; et, inter sic appellata aequipollentia, ieiunium⁸⁶, ea quae de fratrum vestimentis, calceamentis « *et aliis nonnullis* » agunt⁸⁷.

Nicolaus III, qui in sua decretali *Exiit qui seminat*⁸⁸ sancti

⁷⁸ « Universi fratres unum de fratribus istius religionis *teneantur* semper habere generalem ministrum » (*Regula*, c.8, p.70).

⁷⁹ « *Teneantur* praedicti fratres ... alium sibi eligere in custodem » (*Regula*, c.8, p.70 s).

⁸⁰ « Si qui fratrum, instigante inimico, mortaliter peccaverint ... *teneantur* praedicti fratres ad eos recurrere » (*Regula*, c.7, p.69).

⁸¹ Et explicite ut praeceptum proponitur (S. BONAVENTURA, *Expositio*, n.2, p.436b-437a).

⁸² Confer quae sunt praeceptis aequipollentia, iuxta Clementis V doctrinam: « Item, omnia quae ponuntur in Regula ... ad modum receptionis » spectantia (CLEMENS V, *Exivi de paradiso*, a.3, n.2, p.238).

⁸³ S. BONAVENTURA, *Expositio*, l.cit., n.3, p.437a.

⁸⁴ « Sciat insuper quicumque Regulam fratrum minorum inspexerit, nihil in ea positum obligatorie nisi ubi nomen *praeepti* vel aliquid *aequivalens* est expressum seu insinuat, ut *teneri* et huiusmodi » (IOANNES PECHAM, *Tractatus pauperis*, p.27, in ed. A.G. LITTLE, *Fratris Ioannis Pecham quondam Archiepiscopi Cantuariensis Tractatus tres de paupertate*, Aberdoniae 1910). Et in sua Regulae expositione: Ieiunium in Regula expressum *tenentur ex praeepto*. Cum enim dicitur aliis temporibus non *tenentur*, sequitur a contrario sensu ut illo tempore *teneantur* » (*Expositio Regulae*, c.3, p.50, in ed. LITTLE, *op. cit.*).

⁸⁵ PECHAM, *Expositio Regulae*, c.1, p.30-47. Votum oboedientiae regulat omnimodam superioribus oboedientiam, dummodo nihil praescribant contra animam vel Regulam. In voto castitatis includuntur et suspectorum consortiorum evitatio et ingressus in monasteria monacharum prohibitio. Per paupertatis votum religiosi renuntiant omni in particulari et in communi rerum possessioni et pecuniae contrectationi. Et concludit: « Haec igitur quatuor, oboedientia in ordine, paupertas et castitas et subiectio Ecclesiae Romanae, quia emanant a fonte Evangelii, ponuntur sub *distinctione praeepti* » (*ibid.*, c.1, p.47).

⁸⁶ *Ibid.*, c.3, p.50.

⁸⁷ *Tractatus pauperis*, c.9, p.27.

⁸⁸ NICOLAUS III, *Exiit qui seminat*, 14 aug. 1279, in ed. *Seraphicae legislationis textus originales*, Ad Claras Aquas 1897, p.181-227.

Bonaventurae in non paucis argumentis vestigia sequitur⁸⁹, etiam loquitur de Regulae praeceptis⁹⁰. Iam eius decessor Innocentius IV, Gregorii IX doctrinam tenens, determinat fratres minores non teneri nisi ad ea consilia evangelica « *quae in ipsa Regula praeceptorie vel inhibitorie sunt expressa* »⁹¹. Et in bulla agit de noviciorum receptione, officio divino, pecuniae et proprietatis interdictione, ministrorum in fratrum necessitatibus sollicitudine, peccatorum reservatorum absolute, custodibus, contionatorum approbatione et in monialium monasteria ingressu⁹². Quae omnia, custodibus exceptis, inter praecepta, ut vidimus, sunt enumeranda.

Nicolaus III quaestionem denuo examinat. Etsi in Regula, ait, proponatur Evangelii observantia, tamen hoc non dicitur absolute, sed sub quibusdam condicionibus. Sanctus Franciscus aliqua Evangelii consilia ut consilia proponit sub verbis monitionis, exhortationis et consilii; alia vero ut praecepta, sub verbo praecepti. Itaque fratres minores tenentur tantum « *ad illa consilia quae in eadem Regula praeceptorie vel inhibitorie seu sub verbis aequipollentibus sunt expressa* »⁹³; vel aliis verbis, « *ad eorum observantiam quae in eadem Regula ipsis sub verbis obligatoriis indicuntur* »⁹⁴. Ad cetera vero non, scilicet, ad ea « *quae sub verbis monitoriis, exhortatoriis, informatiis et instructoriis seu quibuscumque aliis continentur* »⁹⁵.

Nulla invenitur difficultas, si sensum verborum *praeceptorie* vel *inhibitorie* requiratur, cum illius temporis expositores eum saltem ad mandata sub verbis *praecipere, per oboedientiam iniungere* et *teneri* extenderent. Sed quae includuntur clausulis « *sub verbis aequipollentibus* » vel « *sub verbis obligatoriis* »? Res a Nicolao III sub hoc aspectu decisae, sunt sequentia nunc admissa praecepta: duo praedicationis mandata, tunicarum numerus, noviciorum receptio et ministrorum sollicitudo ad fratres vestiendos et infirmos adiuvandos.

Etsi Nicolaus III sua decretali omnes discussionum vias voluerit praeccludere, tamen post eiusdem constitutionem adhuc de Regulae obligatione graves exortae sunt controversiae, non quoad existentiam, sed ad earundem ambitum, scilicet, ad praeceptorum numerum stabiliendum. Hoc non est mirandum si mentem nostram intendamus ad tria maximi momenti facta: ad Romanorum Pontificum genericas seu abstractas tantum decisiones, ad omnium religiosorum tunc

⁸⁹ Cf., v.gr., V. MAGGIANI, O.F.M., *De relatione scriptorum quorundam S. Bonaventurae ad bullam « Exiit » Nicolai III (1279)*, in AFH 5 (1912) 3-21.

⁹⁰ NICOLAUS III, *Exiit qui seminat*, a.1, p.186-190.

⁹¹ INNOCENTIUS IV, *Ordinem vestrum*, 14. nov. 1245, in ed. EUBEL, *Epitome*, p.238a.

⁹² *Ibid.*, in editione praecitata, p.238a-239b.

⁹³ NICOLAUS III, *Exiit*, a.1, n.2 s, p.187 ss.

⁹⁴ *Ibid.*, a.1, n.4, p.190.

⁹⁵ *Ibid.*, a.1, n.5, p.190.

temporis de argumento disceptationes et ad rigidiorum plus aequo, scrupulorum et simplicium fratrum existentiam. Verum est eodem tempore exstitisse fratres relaxationi proclives, ut ex ipsis Regulae commentariis facile deducitur⁹⁶; sed etiam animadvertendum sic vocatos *spirituales* fratrum conscientias non modice perturbasse.

2. - A bulla « *Exiit qui seminat* » Nicolai III usque ad decretalem « *Exivi de paradiso* » Clementis V

Petrus Ioannis Olivi (1248-1298), post bullam *Exiit qui seminat* momentosam scripsit quaestionem directe ad nostrum argumentum spectantem, in qua disserit de ambitu professionis minoriticae⁹⁷.

Vovens simpliciter Regulam vel Evangelium, ait, non tenetur sub peccato mortali ad omnia quae in eisdem continentur. Et hoc probatur, tum ex iure divino, tum ex iure regulari, tum ex iure ecclesiastico, tum ex voti forma et modo⁹⁸. De hoc ultimo puncto loquens, affirmat illos qui simpliciter et absolute Regulam et Evangelium profitentur non adstringi ad omnia ex necessitate voti aut praecepti, nam per Regulam aut Evangelium significantur tantum eorumdem partes principales seu essentialia, aliis verbis, status evangelicus aut regularis. Conditor enim Regulae, si sapiens legis dator et populi gubernator sit, non ad omnia mandata aequaliter obligat. Praeterea, si voventis intentio consideretur, hoc etiam facile patet, in primis si sollemniter publicum statum profitetur, cum nullus velit Regulam vovere, nisi eo modo quo ipsa ordinatur, secus contra Regulam facit⁹⁹.

In omni statu regulari inveniuntur substantialia triplice modo, scilicet, *principalissima*, cum cetera ab ipsis dependeant, hoc est, Dei cultus, qui primario in actu orationis et devotionis, secundario vero in interna rectificatione et in spirituali unione membrorum Christi consistit; *mediocria*, inter quae forte sunt castitas et paupertas relate ad actus exteriores, quia interiores ad *principalissima* videntur pertinere; *infima*, « quamvis et ipsa substantialia », e.g., « *forma habitus* et aliqua praecepta ad priora multum ordinantia, ut... in nostra Regula est *ieiunium* et *officium* facere romanae curiae et

⁹⁶ Cf., v.gr., QUATUOR MAGISTRI, *Expositio super Regulam fratrum minorum*, c.3, p.138 s., in ed. L. OLIGER, *Expositio Quatuor magistrorum*, Roma 1950.

⁹⁷ PETRUS IOANNIS OLIVI, *Quaeritur an vovens Evangelium vel aliquam Regulam simpliciter et absque determinatione teneatur observare omnia quae in eis sunt contenta, ita quod semper peccet mortaliter contra quodcumque illorum agendo*, ed. Ferdinandus M. DELORME, O.F.M., *Fr. P.I. Olivi quaestio de voto Regulam aliquam profitentis*, in *Antorianum* 16 (1941) 131-164.

⁹⁸ P.I. OLIVI, *l.cit.*, 146-152.

⁹⁹ *Ibid.*, 152-155.

suspecta consortia devitare et similia »¹⁰⁰. Itaque profiteri simpliciter Regulam vel Evangelium est consonum, perfectum et securum¹⁰¹.

Animadvertendum, tamen, est Regulam minoritanam Evangelii observantiam limitare ad tria substantialia evangelica consilia, addendo « vivendo in oboedientia, sine proprio et in castitate ». Sed fratres minores non obligantur tantum ad haec tria absolute accepta, sed « *secundum mentem et intentionem Regulae* »¹⁰², ideoque pecuniae interdictio et « *multa alia* » ad paupertatis votum referuntur; suspectorum consortiorum evitatio et quodammodo ieiunium, ad castitatis votum; cardinalis protectoris petitio, ad oboedientiae votum, seu potius, ad Ordinis conservationem. Cetera vero quae ad haec tria plene reduci non possunt, in perfectione status evangelici includuntur¹⁰³.

Practice, ex vi voti emissi tenentur fratres ad Regulae praecepta ut praecepta, ad eiusdem vero consilia ut consilia. Curandum tamen est ne praecepta cum consiliis commisceantur. Illa enim sub gravi obligant¹⁰⁴; ista vero non. Etsi difficile sit determinare omnia quae sub praecepto vel consilio statuuntur, saltem habenda sunt ut consilia ea omnia quae sub verbis *consulo, moneo et similibus, licentia, concessione et aequivalentibus*, et etiam, ut videtur, ea quae modicum perfectionis aut utilitatis in se habent vel non multum ad status integritatem¹⁰⁵. Praecepta vero non sunt tantum ea quae sub verbo *praeepti* aut *tentionis* imponuntur, sed etiam quae ex intentione Regulae et ex necessaria sui status subsistentia habenda sunt ut partes substantiales, ideoque eorumdem transgressio laedit notabiliter ipsum statum regularem¹⁰⁶.

Petrus igitur Olivi aperte praecepta et consilia distinguit¹⁰⁷. Satis specificat quaenam sint in Regula consilia, quaenam praecepta. Haec ultima indicantur non tantum per verba *praecipere* (praecepta

¹⁰⁰ *Ibid.*, 156 ss.

¹⁰¹ *Ibid.*, 152.

¹⁰² *Ibid.*, 160 s.

¹⁰³ « Unde prohibitio de usu pecuniae sicut et multa alia ad votum paupertatis spectat; vitatio vero suspecti consortii; ad castitatem et etiam quodammodo ieiunium; petere vero cardinale, ad oboedientiam seu potius ad conservationem totius status; unde et quaecumque alia sunt ibi quae ad haec tria plene reduci non possunt, ad totalem perfectionem status evangelici spectant aut quantum ad esse aut quantum ad bene esse » (*ibid.*, 161).

¹⁰⁴ Cf., v.gr., p.161 ss.

¹⁰⁵ *Ibid.*, 163. « Quaedam etiam sunt ibi quae non cadunt sub praecepto vel voto nisi prout sonant in habitum, ut est illud de calceamentis et equitaturis... Quaedam etiam sunt quae non cadunt sub necessitate praecepti vel voti praecise, sed indeterminate, sicut est pauper usus quoad vestes, cibos, domos et libros et quoad utensibilia alia » (*ibid.*, 163).

¹⁰⁶ *Ibid.*, 161.

¹⁰⁷ Cf. P.I. OLIVI, *Responsio ad aliqua dicta per quosdam magistros parisienses de suis quaestionibus excerpta*, in ed. D. LABERGE, O.F.M., *Fr. Petri Ioannis Olivi, O.F.M., tria scripta sui ipsius apologetica annorum 1283 et 1285*, in AFH 28 (1935) 394 s.

eminentia) et *teneri* (praecepta virtualia), sed etiam per Regulae intentionem. Auctor loquitur expresse de sequentibus aequipollentibus praeceptis: de ieiunio et officio divino¹⁰⁸, de calceamentis et equitatione¹⁰⁹.

Hubertinus de Casale (1259-132?), scribens immediate ante bullae *Exivi de paradiso* praeparationem, in quodam libello, *Super tribus sceleribus* nuncupato, de praeceptorum numero expresse loquitur¹¹⁰.

In Regula, ait, quatuor dantur statutorum genera, scilicet, ea quae sunt: 1) expresse praecepta; 2) expresse inhibitoria, quia sub praecepto negativo imponuntur; 3) expresse inforatoria seu concessoria; 4) expresse monitoria¹¹¹. Cetera vero statuta non pertinent *expresse* ad ullam eorumdem speciem, v.gr., officium divinum, ieiunium, rerum expropriatio, praedicatio « et similia ». Sed haec reducenda sunt necessario *per aequipollentiam* ad aliquam quatuor specierum¹¹².

Aliqua possunt ad praecepta vel inhibitoria reduci sex modis¹¹³:

1. - *Ratione significationis*, scilicet, cum res ordinentur sub verbis *iniungere, teneri et debere* (hoc ultimum *principaliter* memoratum). Sub primo termino praescribitur cardinalis protectoris petitio¹¹⁴; sub vocabulo *teneri* ea omnia quae agunt de peccatis reservatis¹¹⁵, de necessitate habendi ministrum generalem, de oboedientia eidem praestanda, de ministrorum assistentia ad capitulum generale, de electione novi ministri generalis, si prior insufficiens videatur, etc.¹¹⁶; sub verbo *debere* principaliter enuntiato ordinatur, v.gr., infirmorum sollicita cura¹¹⁷.

2. - *Ratione materiae vel professionis*, quia fratres promittunt vota non simpliciter et absolute sed secundum Regulam, ideoque

¹⁰⁸ P.I. OLIVI, *Quaestio de voto*, 157 s.

¹⁰⁹ *Ibid.*, 163.

¹¹⁰ UBERTINUS DE CASALE, *Super tribus sceleribus*, ed. A. HEYSSE, O.F.M., *Ubertini de Casali opusculum « Super tribus sceleribus »*, in AFH 10 (1917) 103-174.

¹¹¹ Inter praecepta enumerat: « Unde firmiter praecipio eis ut oboediant suis ministris » (c.10, p.72). Inter inhibitoria: « Praecipio firmiter fratribus universis ut nullo modo denarios vel pecuniam recipiant per se vel per interpositam personam » (c.4, p.67); « Praecipio firmiter fratribus universis ne habeant suspecta consortia vel consilia mulierum » (c.11, p.73) (*ibid.*, 133).

¹¹² *Ibid.*, 133.

¹¹³ *Ibid.*, 133 s.

¹¹⁴ « Ad haec per oboedientiam *iniungo* ministris ut petant a domino Papa unum de sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus » (c.12, p.74).

¹¹⁵ « Si qui fratrum, instigante inimico, mortaliter peccaverint... *tendantur* praedicti fratres ad eos recurrere » (c.7, p.69).

¹¹⁶ Cf. c.8, p.70, ubi quater invenitur terminus *teneantur*.

¹¹⁷ « Et si quis eorum in infirmitatem ceciderit, alii fratres *debent* ei servire, sicut vellent sibi serviri » (c.6, p.69).

omnia quae in ipsa ad oboedientiam, paupertatem et castitatem referuntur ut praeceptis et inhibitoriis aequipollentia sunt iudicanda, v.gr., parcitas et vilitas vestium¹¹⁸ et omnimoda expropriatio¹¹⁹.

3. - *Ratione communis observationis*, ut officii divini recitatio¹²⁰.

4. - *Ratione specialis consuetudinis*, ut ieiunium ante Nativitatis festum¹²¹, nam hoc ab omnibus observatur religiosis.

5. - *Ratione consultationis et declarationis*, ut prohibitio praedicandi in episcopatu alicuius episcopi nolentis¹²² aut sine approbatione¹²³, et praescriptio de labore¹²⁴. Si fratres ea iudicassent non praeceptiva, Romanum Pontificem non consuluissent et ipse non tantum ponderasset. « *Et plura sunt in Regula et declaratione [Nicolai III] taliter reducenda* ».

6. - *Ratione immediatae coniunctionis* ad rem quae proponitur sub praecepti forma, ut ingressus in monialium monasteria et prohibitio compatrum munus obeundi¹²⁵.

Haec omnia sunt praeceptis aequipollentia, secus omnis fere Regula annullatur, quippe cum parcissime loquatur sub expresso vocabulo praecipienti et prohibenti, et fere semper sub his antedictis similibus modis¹²⁶. Praeterea haec fuit Nicolai III doctrina¹²⁷. Igitur,

¹¹⁸ Cf. c.2, p.65.

¹¹⁹ « Fratres nihil sibi approprient, nec domum nec locum nec aliquam rem » (c.6, p.68).

¹²⁰ « Clerici faciant divinum officium secundum ordinem sanctae Romanae Ecclesiae » (c.3, p.66).

¹²¹ « Et ieiunent a festo omnium sanctorum usque ad Nativitatem Domini » (c.3, p.66).

¹²² « Fratres non praedicent in episcopatu alicuius episcopi, cum ab eo illis fuerit contradicendum » (c.9, p.71).

¹²³ « Et nullus fratrum populo penitus audeat praedicare, nisi a ministro generali huius fraternitatis fuerit examinatus et approbatus et ab eo officium sibi praedicationis concessum » (c.9, p.71).

¹²⁴ « Fratres illi, quibus gratiam dedit Dominus laborandi, laborent fideliter et devote » (c.5, p.68).

¹²⁵ « Praecipio firmiter... et ne ingrediantur monasteria monacharum... Nec fiant compatres virorum vel mulierum » (c.11, p.73).

¹²⁶ « Si autem verba sub simplici futuro modi imperativi posita, puta dicendo *et habeant* unam tunicam cum caputio, vel vestimentis vilibus *induantur*, vel *faciant* divinum officium secundum etc., vel *ieiunent* a festo omnium sanctorum, et *similia* non sunt verba obligatoria, tota Regula dissipatur et quasi annullatur, quia fere tota est tradita sub talibus verbis, sicut et aliae Regulae sanctorum patrum » (UBERTINUS DE CASALE, *Articuli ex declaratione Regulae accepti*, in ed. F. EHRLE, *Zur Vorgeschichte des Concils von Vienne*, in ALKG 3 [1887] 131). « Quantum ad istum articulum nota quod non solum tenemur ex professione Regulae, ut quidam fatui dicunt, ad oboedientiam et castitatem et sine proprio vivere, sed etiam ad omnia consilia evangelica, quae in Regula praeceptorie vel inhibitorie seu sub verbis aequipollentibus exprimuntur » (*ibid.*, 131).

¹²⁷ « Et sic intellexi a ministris qui fuerunt praesentes quando declaratio [Nicolai III] fiebat, quod dominus papa dixit se intelligere omnia ista aequipollere praeceptoris et obligatoriis, et fratres ex voto professionis ad observanda teneri » (UBERTINUS DE CASALE, *Super tribus sceleribus*, p.134).

iuxta Hubertini sententiam, in Regula sunt praecepta sub gravi obligantia¹²⁸:

1. - Quae ordinantur expresse sub verbo *praecipere*;
2. - Quae ponuntur sub verbo *iniungere*;
3. - Quae praescribuntur sub verbo *teneri*;
4. - Quae prohihibentur praecepto *negativo*;
5. - Inter hodierna praecepta aequipollentia *nominativim* exprimuntur: infirmorum sollicita cura, vestium parcitas, vestium vilitas, officium divinum, ieiunium, duo praecepta capituli noni Regulae relate ad predicationem. Item explicite memoratur praeceptum emittens de omnimoda fratrum expropriatione.

Certum est ante bullam *Exivi de paradiso* Ordinis communitatem in Regula admisisse gravia mandata, scilicet, ea quae praeceptorie vel inhibitorie vel sub verbis aequipollentibus exprimebantur¹²⁹. Sed non potuimus invenire in scriptis ab ipsa tunc temporis redactis obligationum enumerationem¹³⁰. Verum est eiusdem religiosus eam confecisse in quodam opusculo *Ut fratres melius nuncupato*, in quo offerebatur « *declaratio ministrorum et magistrorum praedictorum quae sint in Regula beati Francisci praeceptorie, inhibitorie et aequipollentia istis* »¹³¹. Sed hic libellus adhuc remanet ignotus. Forsitan huic simile est celeberrimum opusculum, *De praeceptis Regulae* appellatum, et immediate post bullae *Exivi* promulgationem ab ipsomet ministro generali Gundisalvo Hispano exaratum.

Clemens V, antequam de fratrum controversiis panderet sententiam, quatuordecim doctissimos consultavit doctores qui clero vel saeculari vel regulari erant adsciti. Hi, post maturum scriptorum tum spiritualium tum communitatis examen, ad Romanum Pontificem miserunt relationem¹³².

Fratres, aiunt, ex voto professionis tenentur ad tria oboedientiae, paupertatis et castitatis vota non tantum absolute accepta sed a Regula modificata, ita ut ex voto paupertatis et castitatis obligentur

¹²⁸ « Unde principalitas voti fertur super totam Regulam, et obligatio ex voto huiusmodi ad transgressionem mortalem extenditur, secundum declarationem papalem, ad omnia quae in eadem Regula praeceptorie vel inhibitorie seu sub verbis aequipollentibus sunt expressa » (*ibid.*, 146). Cf. etiam p.133 s., 162.

¹²⁹ Cf. *Infrascripta dant*, in ALKG 3 (1887) 155 s.; *Responsiones ad obiectiones*, in *Coll. Franc.* 15 (1945) 69; *Contra quasdam*, in *Coll.Franc.* 15 (1945) 76.

¹³⁰ De libellis in celeberrima lite redactis cf. A. HEYSSE, O.F.M., *Anonymi spiritualis responsio « Beatus vir » contra « Abbreviaturam communitatis »*, in AFH 42 (1949) 213-216.

¹³¹ Hi magistri et ministri apparent in initio scripti *Religiosi viri*, in ed. A. CHIAPPINI, O.F.M., *Communitatis responsio « Religiosi viri » ad « Rotulum » fr. Ubertini de Casali*, in AFH 7 (1914) 659.

¹³² RAYMUNDUS DE FRONSAC, O.F.M., *Catalogus*, in ed. F. EHRLI, in ALKG 3 (1887) 23, c.34.

¹³³ Cf. G. FUSSENEGGER, O.F.M., *Relatio commissionis in concilio viennensi institutae ad decretalem « Exivi de paradiso » praeparandam*, in AFH 50 (1957) 145-177.

ad omnia quae ipsa circa argumentum proponat, dummodo praeceptorie, inhibitorie aut sub verbis aequipollentibus haec statuatur. Hoc etiam est admittendum, etsi ad haec duo vota non referatur, quotiescumque in Regula aliquod praeceptorie, ut dictum est, praescribatur. Cum vero non sit clarum quatenam in concreto in lege minoritica sic proponantur, doctores tum ratione formae verborum, tum ratione materiae, tum ratione utriusque ea singillatim enumerant¹³⁴:

1. - *De candidatorum admissione* diversa admittunt praecepta (c. 2, p. 64).

2. - *De noviciorum vestibus* (c. 2, p. 65). « Hic credimus, excepto uno magistro, prohiberi prohibitione necessitatis, ne concedantur plures tunicae, nisi ministris aliud, etc. ».

3. - *De candidati receptione et Regulam observandi promissione* (c. 2, p. 65). « Ex istis verbis credit maior pars nostrum ministros obligatos ad recipiendum profiteri volentem, si est idoneus. Ad promittendum vero praedicta credimus omnes profitentem teneri ».

4. - *De prohibitione exeundi e religione* (c. 2, p. 65). « Verba ista credimus habere vim praecepti prohibitorii ».

5. - *De fratrum vestimentis* (c. 2, p. 65). « Hic intelligimus ex vi praecepti statui formam habitus et prohiberi usum plurium tunicarum, nisi ex dispositione ministrorum et custodum, prout declaratio praedicta declarat § *Licet autem*¹³⁵. Unus vero magistrorum sentit quod non cadat sub praecepto numerus tunicarum ».

6. - *De calceamentis* (c. 2, p. 65). « Per haec verba credimus prohiberi sub praecepto qui necessitate non coguntur portare calceamenta ».

7. - *De vilibus vestimentis* (c. 2, p. 65). « Verba ista credimus, tribus magistris exceptis, habere vim praecepti. Dictorum autem magistrorum duo contrarium sentiunt, tertius vero dubitat ».

8. - *De divino officio et de ieiunio*. « Et infra capitulo III: *Clerici faciant divinum officium secundum, etc. Usque ad Nativitatem Domini ieiunent; aliis autem temporibus non teneantur nisi sexta feria ieiunare*. Hic indici credimus fratribus sub praecepto ieiunium quadragesimo et sextae feria ».

9. - *De equitatione* (c. 3, p. 67). « Verba ista reputamus omnes, excepto uno magistro, habere vim praecepti prohibitorii ».

10. - *De denariorum prohibitione* (c. 4, p. 67). « Hoc est praeceptum expressum ».

¹³⁴ *Relatio commissionis*, p.159-163.

¹³⁵ NICOLAUS III, *Exiit qui seminat*, ed. *Seraphicae legislationis textus originales*, Ad Claras Aquas 1897, art.14, p.213.

11. - *De fratrum necessitatibus per ministros sublevandis* (c. 4, p. 67). « Ad hanc curam teneri credimus ex vi praecepti ministros et custodes et alios per quos idem minister et custodes ipsius curae sollicitudinem excercent, prout declaratio praedicta concedit in § *Et quamquam* »¹³⁶.

12. - *De fratrum labore* (c. 5, p. 68). « Hoc verbum credimus, duobus tantum magistrorum exceptis, habere vim praecepti quoad fratres illos ad quos extenditur secundum declarationem praedictam § *Continetur* »¹³⁷.

13. - *De omnium rerum expropriatione* (c. 6, p. 68). « Hic est explicatio voti expresse obligans ».

14. - *De infirmorum sollicita cura* (c. 6, p. 69). « Et hoc credimus aequipollere praecepto ».

15. - *De peccatis reservatis* (c. 7, p. 69). « Hoc reputamus praeceptum vel aequivalens praecepto ».

16. - *De poenitentia fratribus peccatoribus a ministris impertienda* (c. 7, p. 69 s). « Haec aequipollent praecepto secundum opinionem maioris partis nostrum ».

17. - *De ministro generali et de capitulo generali* (c. 8, p. 70 s). Circa universum Regulae caput octavum, ultima clausula excepta, asserunt doctores: « Haec reputamus indicta sub verbis obligatoriis ».

18. - *De fratrum praedicatione in episcopatu episcopi nolentis* (c. 9, p. 71). « Hoc reputamus aequipollere praecepto prohibitorio ».

19. - *De contionatorum a ministro generali approbatione* (c. 9, p. 71). « Hoc reputamus habere vim praecepti prohibitorii, salva concessione facta super hoc ministris provincialibus per declarationem praedictam § *Et quia in eodem* »¹³⁸.

20. - « Et infra X capitulo: *Fratres qui sunt ministri et servi aliorum fratrum visitent et moneant fratres suos, humiliter et caritative corrigant eos, non praecipientes eis aliquid quod sit contra animam suam et Regulam nostram.* Hoc credimus aequipollere praecepto ».

21. - *De fratrum oboedientia in omnibus quae non sunt contra animam et Regulam* (c. 10, p. 72). « Hoc est indubitanter praeceptum ».

22. - *De recursu ad ministros, si Regula non possit spiritualiter observari* (c. 10, p. 72). « Haec verba credimus aequipollere praeceptis ».

¹³⁶ *Ibid.*, art.15, p.213 s.

¹³⁷ *Ibid.*, art.16, p.214 ss.

¹³⁸ *Ibid.*, art.17, p.216 s.

23. - *De undecimo Regulae capite*. « Hic continentur tria praecepta expressa ».

24. - *De licentia saracenos adeundi a subditis petenda et a superioribus tribuenda* (c. 12, p. 73 s). « Hic indicuntur duo obligatoria: unum fratribus et aliud ministris ».

25. - *De cardinali protectore* (c. 12, p. 74). « Hoc est evidenter praeceptum ».

Clemens V, in sua decretali *Exivi de paradiso* nuncupata, explicite et concinne loquitur de Regulae praeceptis. Primo proponit fratrum dubitationes, scilicet, sententiam illorum qui asserunt omnia praecepta et consilia evangelica esse fratribus obligatoria ex professione Regulae franciscanae et sententiam eorum qui autumant fratres obligari ad tria vota substantialia et ad ea consilia evangelica quae in Regula ponuntur sub verbis obligatoriis. Et offert primum principium: cum votum debeat dirigi ad materiam determinatam, qui vovet Regulam franciscanam non tenetur vi huius voti ad consilia evangelica in ea non memorata. Haec etiam fuit mens sancti Francisci¹³⁹. Etiam advertendum est quod fratres « *non solum ad illa tria vota nude et absolute accepta ex professione suae Regulae obligantur, sed etiam tenentur ad omnia ea implenda, quae sint pertinentia ad haec tria praedicta quae Regula ipsa ponit* »; obligatio vero contentorum in Regula est diversa, cum seraphicus pater aliquando loquatur verbis praeceptorii, aliquando verbis aequipollentibus, aliquando aliis verbis¹⁴⁰.

Clemens V implicite, sed clare, admittit praecepta expressa seu eminentia, a commissione peritorum specificè et sine ulla dubitatione proposita, etsi Romanus Pontifex non faciat de eisdem mentionem expressam¹⁴¹. Praeter ea quae ponuntur in Regula sub verbis praeceptorii, exhortatoriis et monitoriis, sunt nonnulla quae « *verbo imperativi modi negative vel affirmative apposito inseruntur* », et a fratribus dubitatur utrum ad ea obligentur¹⁴². Clemens V, partem securiorem sequens, et ut fratres Regulae puritatem et rigorem melius servent, proponit ut « *aequipollentia praeceptis ex vi verbi, vel saltem ratione materiae de qua agitur, seu ex utroque* », quae sequuntur:

- 1) tunicarum numerus;
- 2) prohibitio calceamenta portandi et equitationem faciendi;
- 3) villitas vestimentorum;

¹³⁹ CLEMENS V, *Exivi de paradiso*, ed. *Seraphicae legislationis textus originales*, Ad Claras Aquas 1897, art.1, p.233 s.

¹⁴⁰ *Ibid.*, art.2, p.234 s.

¹⁴¹ Cf. quae paulo supra diximus de commissione pontificia, in n.4, 10, 13, 21, 23, 25.

¹⁴² *Ibid.*, art.3, p.235 s.

- 4) ieiunium ante Nativitatem Domini et in sextis feriis;
- 5) officium divinum a clericis recitandum;
- 6) sollicita cura superiorum in fratrum necessitatibus;
- 7) accurata circa infirmos sollicitudo;
- 8) prohibitio praedicandi, episcopo contradicente;
- 9) examen et approbatio contionatorum;
- 10) spiritualis Regulae observatio;
- 11) habitus religiosorum et modus receptionis et professionis;
- 12) « Item, Ordo communiter sensit, tenet et tenuit ab antiquo quod ubicumque ponitur in Regula hoc vocabulum *teneantur*, obtinet vim praecepti, et servari debet a fratribus sicut tale »¹⁴³.

Romanus Pontifex, in sua declaratione, relationem commissionis a se efformatae generaliter sequitur, etsi aliquando diversimode loquatur. Commissio enumerat unumquodque praeceptorum; Clemens V tantum generice praecepta eminentia et vim habentia, cum de his numquam dubitaretur in Ordine¹⁴⁴, et singillatim aequipollentia praeceptis. Commissio sequitur ordinem capitulorum Regulae; e contra, papa quadam utitur libertate. Pontifex non semper admittit commissionis doctrinam quoad Regulae praecepta, etenim silet de praecepto laborandi in capite quinto, de praecepto fratres visitandi et corrigendi in capite decimo, de duobus praeceptis relate ad missiones apud infideles. Clemens V loquitur de divino officio a clericis recitando; commissio vero tacet.

Haec praeceptorum enuntiatio, a Romano Pontifice facta, maximum in Ordine obtinuit successum, cum materiae difficiliore singillatim recenseantur. Et quoad Regulae in conscientia obligatione maximum procul dubio exercuit influxum.

II. - EXPOSITORUM DOCTRINA POST BULLAM « EXIVI DE PARADISO »

Haec periodus etiam in duas partes dividi potest, scilicet, primam quae auctores saeculorum XIV et XV comprehendat; alteram vero quae posteriores doctores proponat.

1. - A bulla « Exivi de paradiso » usque ad saeculum XV

Statim ac decretalis *Exivi de paradiso* promulgata est (6 maii 1312), celeberrimus Gundisalvus Hispanus, generale ministerium

¹⁴³ *Ibid.*, art.3, p.236 ss.

¹⁴⁴ *Ibid.*, art.3, p.238.

tunc temporis gerens, brevissimam scripsit, sed maximi momenti, Regulae declarationem, paucissima eidem verba superaddens et in primis ea quae ipsa continet ad septem capita reducens, scilicet, praecepta expressa, praecepta aequipollentia, ea quae vim praecepti habent, admonitiones ad bonum faciendum, admonitiones ad malum vitandum, libertates et conditiones quas habere debent qui volunt Ordinem ingredi et quas superiores servare debent¹⁴⁵.

Haec sunt principia quae ad rem nostram pertinent: fratres minores promittunt Regulam servare, sed non omnia quae in ipsa continentur sunt praecepta, et consequenter obligant sub mortali, sed tantum « *quae ponuntur in Regula praeceptorie vel sunt aequivalentia praeceptis vel vim praecepti habentia* ». Etenim in ea tres praeceptorum species habentur, scilicet, praecepta expressa vel eminentia, praecepta aequipollentia et praecepta vim habentia. Ultra has obligatorias dispositiones, in Regula recensentur admonitiones, libertates et quaedam conditiones ad Ordinem ingrediendum¹⁴⁶.

His praenotatis, auctor singillatim memorat unumquodque praeceptorum, admonitionum, libertatum et conditionum. Quod sciamus, hic est doctor primus post bullam *Exivi de paradiso* qui clare, succincte et concinne Regulam triturat, ut melius eiusdem sensus comprehendatur. Nos de praeceptis tantum agimus.

Prima praeceptorum species constituitur a « *praeceptis expressis et eminentibus in Regula, quae sunt numero octo* »¹⁴⁷:

1. - « Et nullo modo licebit eis de ista religione exire » (c. 2, p. 65);
2. - « Praecipio firmiter fratribus universis ut nullo modo denarios vel pecuniam recipiant per se vel per interpositam personam » (c. 4, p. 67);
3. - « Fratres nihil sibi approprient nec domum nec locum nec aliquam rem » (c. 6, p. 68);
4. - « Unde firmiter praecipio eis ut oboediant suis ministris » (c. 10, p. 72);
5. - « Praecipio firmiter fratribus universis ne habeant suspecta consortia vel consilia mulierum » (c. 11, p. 73);
6. - [Praecipio firmiter fratribus universis] « ne ingrediantur monasteria monacharum » (c. 11, p. 73);

¹⁴⁵ GUNDISALVUS HISPANUS, *Tractatus de praeceptis Regulae*, ed. *Monumenta Ordinis minorum*, Salmanticae 1506, tr. III, f.98v-100v. De auctoris vita et tractatus editionibus cf. nostrum studium F. ELIZONDO, *Doctrinales Regulae franciscanae expositiones usque ad annum 1517*, in *Laurentianum* 2 (1961) 480 s.

¹⁴⁶ *Ibid.*, f.98v.

¹⁴⁷ Regulae textus transcribimus iuxta editionem *Opuscula sancti patris Francisci*, Ad Claras Aquas 1949.

7. - [Praecipio firmiter fratribus universis] « ne fiant compadres virorum vel mulierum » (c. 11, p. 73);

8. - « Per oboedientiam iniungo ministris ut petant a domino Papa unum de sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, qui sit gubernator, protector et corrector istius fraternitatis » (c. 12, p. 74).

Et in fine Gundisalvus ait: « *Nota etiam quod generale praeceptum est omnibus de vivendo in oboedientia, sine proprio et in castitate* ». Haec octo sunt praecepta *expressa, eminentia, formalia* aut simpliciter *praecepta* ¹⁴⁸.

Praeter haec recensentur in Regula alia quae non sunt simpliciter praecepta, sed praeceptis *aequipollentia*. Haec sunt duodecim a Clemente V ex ipsa collecta, « *quorum transgressio sine dubio est mortalis* » ¹⁴⁹.

1. - [Fratres] « habeant unam tunicam cum caputio et aliam sine caputio qui voluerint habere » (c. 2, p. 65);

2. - [Tantum] « qui necessitate coguntur possint portare calceamenta » (c. 2, p. 65);

3. - « Fratres omnes vestimentis vilibus induantur » (c. 2, p. 65);

4. - « Clerici faciant divinum officium secundum ordinem sanctae Romanae Ecclesiae... Laici vero dicant viginti quatuor Pater noster... » (c. 3, p. 66);

5. - « Ieiunent a festo omnium sanctorum usque ad Nativitatem Domini » etc. et in sextis feriis (c. 3, p. 66);

6. - « Et non debeant equitare, nisi manifesta necessitate vel infirmitate cogantur » (c. 3, p. 67);

7. - « Pro necessitatibus infirmorum et aliis fratribus induendis per amicos spirituales ministri tantum et custodes sollicitam curam gerant » (c. 4, p. 67);

8. - « Si quis eorum [fratrum] in infirmitatem ceciderit, alii fratres debent ei servire » (c. 6, p. 69);

9. - « Fratres non praedicent in episcopatu alicuius episcopi, cum ab eo illis fuerit contradictum » (c. 9, p. 71);

10. - « Nullus fratrum populo penitus audeat praedicare nisi a ministro generali huius fraternitatis fuerit examinatus et approbatus » (c. 9, p. 71);

11. - « Fratres qui scirent et cognoscerent se non posse Regulam

¹⁴⁸ *Ibid.*, f.98v-99r.

¹⁴⁹ Et sequitur: « Quia si ex sola nominatione praeceptionis vel inhibitionis dicerentur praecepta, tota pene status vel voti necessitas annullaretur vel evacuaretur » (*ibid.*, f.99r). Regulae textus adhibemus iuxta praecitatam editionem.

spiritualiter observare ad suos ministros debeant et possint recurrere » (c. 10, p. 72)¹⁵⁰;

12. - « Omnia quae ponuntur in Regula ad formam habitus tam noviciorum quam professorum necnon ad modum receptionis ad professionem spectantia, nisi recipientibus, quoad habitum noviciorum, sicut dicit Regula, aliud secundum Deum aliquando videatur » (cf. c. 2, p. 64 s)¹⁵¹.

In praeceptis aequipollentibus enumerandis Gundisalvus non omnino sese accommodat decretali *Exivi de paradiso*. Etenim, aliquando praeceptorum ordinem a Clemente V propositum mutat, ut ordinem a Regula praescriptum sequatur (cf. n. 2, ubi silet de equitatione; n. 4 et 5, ubi invertitur ordo), aliquando vero aliquid novi addit tum materialiter (cf. n. 6, de equitatione, ubi novum praeceptum materialiter proclamatur, etsi de facto a Clemente V sub n. 2 fuerat promulgatum) tum etiam formaliter (cf. n. 4, ubi loquitur de officio laicorum, a Clemente V non memoratum; n. 5, ubi ultra quadragesimam Nativitatis et sextas ferias, aliqua ieiunia enumerat modo generali verbis *etc.* utens, et quae evidenter ad ieiunia quadragesimae maioris extenduntur, dum Clemens V de quadragesima Nativitatis et de sextis feriis agit). Postremo, ultimus numerus a Clemente V memoratus, a Gundisalvo seiunctim numeratur, scilicet, ut praeceptum sic dictum virtuale, quod, etsi verbis Romani Pontificis sit innisum, tamen non omnimode cum ipso concordat.

Tertia mandatorum species constituitur ab illis « *quae non sunt praecepta nec praeceptis aequipollentia, sed tamen habent vim praecepti* », quorum transgressio, iuxta Clementis V doctrinam, est peccatum mortale. Sunt illa quae sub verbo *teneri* imponuntur¹⁵².

1. - « Et alii fratres *teneantur* fratri Francisco et eius successoribus oboedire » (c. 1, p. 63);

2. - « Aliis autem temporibus [praeterquam a festo omnium sanctorum usque ad Nativitatem Domini et in quadragesima et sextis feriis] *non teneantur*... ieiunare » (c. 3, p. 66). Ergo ieiunia a Regula praescripta « *aequipollent praecepto et habent vim praecepti* ».

3. - « Si qui fratrum, instigante inimico, mortaliter peccaverint... *teneantur* praedicti fratres ad eos recurrere quam citius poterint sine mora » (c. 7, p. 69);

4. - « Universi fratres unum de fratribus istius religionis *teneantur* semper habere generalem ministrum » (c. 8, p. 70);

¹⁵⁰ *Ibid.*, f.99r.

¹⁵¹ Sunt verba Gundisalvi, ex bulla Clementis V allata.

¹⁵² Regulae textus afferimus iuxta praecitatam editionem.

5. - « Et ei *teneantur* firmiter oboedire » (c. 8, p. 70);
6. - « Provinciales ministri *teneantur* semper insimul [ad capitulum generale] convenire » (c. 8, p. 70);
7. - « Et, si aliquo tempore appareret universitati ministrorum provincialium et custodum praedictum ministrum non esse sufficientem... *teneantur* praedicti fratres... in nomine Domini alium sibi eligere in custodem » (c. 8, p. 70 s)¹⁵³.

Praeter haec directa vel indirecta praecepta, Gundisalvus, de Regulae libertatibus loquens, asserit libertati fratribus concessae saracenos adeundi duo respondere praecepta, unum affirmativum, scilicet, licentiam a ministris provincialibus petendi, negativum alterum, illam a ministris non tribuendi nisi eis quos viderint esse idoneos¹⁵⁴. Postremo, affirmat prima Regulae verba « *Regula et vita minorum fratrum haec est...* »¹⁵⁵ non constituere praeceptum sed esse velut eiusdem prologum¹⁵⁶.

Igitur, de facto, iuxta Gundisalvi placita, viginti novem recensentur Regulae praecepta, scilicet, *octo* eminentia, *duodecim* aequipollentia, *septem* virtualia et *duo* in initio capitis duodecimi memorata¹⁵⁷.

Haec Regulae singularis expositio, a ministro generali facta, quamvis brevissima sit, nihilominus tum ratione auctoris, tum ratione anni redactionis, tum ratione concretizationis et claritatis, in hoc argumento permagnum in Ordine exercuit influxum.

Angelus Clarenus, postremus factionis spiritualis doctor, in sua Regulae explanatione silet omnino de praeceptorum numero et natura, cum eiusdem declaratio recensenda sit inter expositiones sic dictas spirituales, minime vero inter illas quae sensu canonico vel practico redolent¹⁵⁸.

Bartholomaeus a Pisa, primum codicis minoritici caput explicans¹⁵⁹, quatuor explanat dubia, in primis bullis *Exiit qui seminat* Nicolai III et *Exivi de paradiso* Clementis V innisus: 1) an fratres ad observantiam omnium consiliorum evangelicorum teneantur? (ne-

¹⁵³ *Ibid.*, f.99r.

¹⁵⁴ *Ibid.*, f.100r.

¹⁵⁵ « Regula et vita minorum fratrum haec est, scilicet, domini nostri Iesu Christi sanctum Evangelium observare vivendo in oboedientia, sine proprio et in castitate » (c.1, p.63).

¹⁵⁶ *Ibid.*, f.100v.

¹⁵⁷ Non enumeramus « *generale praeceptum* » vivendi in oboedientia, sine proprio et in castitate (*ibid.*, f.99r), cum auctor in fine tractatus clare animadvertat hoc non esse praeceptum (*ibid.*, f.100v).

¹⁵⁸ ANGELUS CLARENUS, *Expositio Regulae fratrum minorum*, ed. L. OLIGER, Ad Claras Aquas 1912.

¹⁵⁹ BARTHOLOMAEUS A PISA, *De conformitate vitae beati Francisci ad vitam domini Iesu*, ed. *Anal.Franc.* 4 (1906) 369-425; fructus IX, pars II.

gative); 2) an ad consilia Regulae sicut ad praecepta evangelica? (negative); 3) an ad omnia consilia in Regula expressa? (negative); 4) an ad ea quae sub imperativi modi verbo in ea includuntur? Et respondet ipsissimam Clementis V transcribens paragraphum, in qua singillatim unumquodque praeceptorum enumeratur¹⁶⁰. Igitur hic auctor nihil in concreto habet de materia de qua agimus.

Expositio anonyma, ante annum 1472 ab auctoribus spiritualibus, ut videtur, scripta, ex professo enumerat sexaginta et unum praecepta, scilicet: c. 1 = 3; c. 2 = 12; c. 3 = 4; c. 4 = 4; c. 5 = 3; c. 6 = 6; c. 7 = 2; c. 8 = 6; c. 9 = 2; c. 10 = 12; c. 11 = 3; c. 12 = 4¹⁶¹. Haec brevis expositio, inter rigidissimas censenda, practice habet ut Regulae praecepta omnia quae in ea annotantur, dummodo explicite consilii, exhortationis et libertatis verbis non utatur.

Nicolaus de Auximo, in sua brevissima explanatione lingua latina exarata, loquitur generice¹⁶², quippe qui tantum affirmet fratres ex voto professionis non teneri ad alia Evangelii consilia praeterquam ad ea quae praeceptorie, inhibitorie aut sub verbis aequipollentibus imponuntur; haec ultima mandata a Clemente V singillatim fuerunt proposita¹⁶³.

S. Ioannes de Capestrano, Regulam lingua vernacula breviter explicans¹⁶⁴, iam in initio animadvertit ea esse habenda in Regula ut praecepta quae « *con parola perentoria affermativa o negativa o parola equipollente* » praescribuntur, quaeque obligant sub gravi¹⁶⁵. Sanctus auctor non redigit praeceptorum elenchum, sed in brevi tractatu accurate et concinne recenset unumquodque praeceptorum. En eiusdem doctrina. *In capite primo* tria habentur praecepta: 1) Regula et vita minorum fratrum haec est...; 2) frater Franciscus promittit oboedientiam...; 3) et alii fratres teneantur fratri Francisco...¹⁶⁶. *In capite secundo* habentur, iuxta auctorem, saltem tredecim praecepta (forsitan quatuordecim, cum non omnino clare loquatur)¹⁶⁷. *In capite tertio*: 1) officium divinum clericorum et

¹⁶⁰ *Ibid.*, c.1, p.383 ss. Cf. CLEMENS V, *Exivi de paradiso*, a.3, n.2, p.236 ss.

¹⁶¹ *Expositio anonyma saec. XV*, ed. *Monumenta Ordinis minorum*, Salmanticae 1506, tr. III, f.94r-97v. In hac collectione sequentem habet inscriptionem: *Brevis expositio et verissima intentio Regulae, edita a sanctis patribus Ordinis* (f.94r).

¹⁶² NICOLAUS DE AUXIMO, *Declaratio super Regulam fratrum minorum*, ed. *Monumenta*, Salmanticae 1506, tr. III, f.97v-98r. Aliam habet Regulae expositionem lingua vernacula exaratam, editam a C. SPEZI, *Tre operette volgari di frate Nicolò da Osimo*, Roma 1865, p.83-100.

¹⁶³ *Ibid.*, f.97v.

¹⁶⁴ S. GIOVANNI DA CAPESTRANO, *Esposizione della Regola dei frati minori*, ed. A. GHINATO, O.F.M., Roma 1960, prius edita in *Vita minorum* 31 (1960) 145-164, 262-275. Primam adhibemus editionem.

¹⁶⁵ *Ibid.*, c.1, p.8. Cf. c.10, p.42.

¹⁶⁶ *Ibid.*, c.1, p.7-10.

¹⁶⁷ *Ibid.*, c.2, p.11-17.

laicorum; 2) ieiunium duarum quadragesimarum et in sextis feriis; 3) equitandi prohibitio¹⁶⁸. *In capite quarto*, sanctus Ioannes unum enumerat praeceptum: pecuniae interdictum; sed secunda huius capituli pars, in qua, secundum Clementis V principia, unum habetur aequipollens praeceptum, non est explicata¹⁶⁹. *In capite quinto*: 1) laborandi mandatum; 2) officiales conventus tenentur « *per comandamento del prelato di laborare quando comanda* »¹⁷⁰. *In capite sexto*: 1) omnium expropriatio; 2) eleemosynarum petitio; 3) fratrum mutua et externa dilectio; 4) sollicita infirmorum cura¹⁷¹. *In capite septimo*: 1) recursus ad ministros provinciales in peccatis reservatis; 2) horum fratrum peccatorum a ministris benigna receptio; 3) irae vel conturbationis peccati fratrum causa prohibitio¹⁷². *In capite octavo*: 1) fratres debent unum habere generalem ministrum cui omnes oboedire tenentur; 2) ministrorum et custodum in capitulo generali coadunatio; 3) alterius ministri generalis in certis casibus a ministris et custodibus electio¹⁷³. *In capite nono*: 1) prohibitio praedicandi contra episcoporum voluntatem, et 2) sine praeviis examine et approbatione a ministro generali factis; 3) honesta in praedicatione locutio¹⁷⁴. *In capite decimo* novem expresse memorantur praecepta, sed auctor loquitur etiam de aliis mandatis in hoc capite indictis¹⁷⁵. *In capite undecimo*: 1) suspectorum consortiorum evitatio; 2) monasteria monacharum ingrediendi prohibitio; 3) patrinorum munus exercendi interdictio¹⁷⁶. *In capite duodecimo*: 1) frater sine licentia superioris non potest missiones adire; 2) superiores eam indignis non tribuant, et 3) idoneis non denegent; 4) ministri debent a Romano Pontifice cardinalem protectorem petere¹⁷⁷.

Igitur, sanctus Ioannes explicite memorat quinquaginta et unum praecepta, quibus addenda sunt aliud praeceptum ex capite secundo (ut videtur), saltem duo ex capite decimo (certe) et aliud ex capite quarto, a sancto non recensitum, cum Regulam in hoc loco non interpretetur, sed indubiis verbis a Clemente V promulgatum. Ergo, iuxta Ioannem de Capestrano, dantur in Regula saltem quinquaginta quinque praecepta. Sanctus typicum constituit exemplum expositorum Regulae rigidiorum. Cum anonyma codicis minoritici explana-

¹⁶⁸ *Ibid.*, c.3, p.18 ss.

¹⁶⁹ *Ibid.*, c.4, p.21 s.

¹⁷⁰ *Ibid.*, c.5, p.23 s.

¹⁷¹ *Ibid.*, c.6, p.26-29.

¹⁷² *Ibid.*, c.7, p.30 s.

¹⁷³ *Ibid.*, c.8, p.32 ss.

¹⁷⁴ *Ibid.*, c.9, p.35 s.

¹⁷⁵ *Ibid.*, c.10, p.37-42.

¹⁷⁶ *Ibid.*, c.11, p.43 s.

¹⁷⁷ *Ibid.*, c.12, p.45 s.

tione supra allata intime cohaeret. Ut melius videatur inter utramque necessitudo respectu habito ad numerum praeceptorum, en quae earundem collatio nobis offert. In tertia columna adiungimus praeceptorum numerum hodie communiter admissorum.

EXPOSITIO ANONYMA	EXPOSITIO S. IOANNIS	EXPOSITIO HODIERNA
c. 1 = 3 praecepta	c. 1 = 3	c. 1 = nullum
c. 2 = 12	c. 2 = 13 (aut 14)	c. 2 = 5
c. 3 = 4	c. 3 = 3	c. 3 = 3
c. 4 = 4	c. 4 = 1 (incompletum)	c. 4 = 2
c. 5 = 3	c. 5 = 2	c. 5 = nullum
6. 6 = 6	c. 6 = 4	c. 6 = 2
c. 7 = 2	c. 7 = 3	c. 7 = 1
c. 8 = 6	c. 8 = 3	c. 8 = 3
c. 9 = 2	c. 9 = 3	c. 9 = 2
c. 10 = 12	c. 10 = 9 (saltem)	c. 10 = 2
c. 11 = 3	c. 11 = 3	c. 11 = 3
c. 12 = 4	c. 12 = 4	c. 12 = 1

Alexander Ariostus, in sua expositione *Serena conscientia* nuncupata, quae est proculdubio unum ex praecipuis antiquis Regulae commentariis¹⁷⁸, non recenset elenchum obligationum nec ex professo agit de numero praeceptorum. Altera ex parte non raro sese interrogat num aliquod mandatum *praeceptum* constituat. Et frequenter Clementis V decretalem memorat¹⁷⁹.

2. - A saeculo XVI ad nostra usque tempora

Sicut tempus antiquum expositionum Regulae post bullam *Exivi de paradiso* initium sumpsit a celeberrimo Gundisalvi Hispani tractatu de codicis minoritici praeceptis, ita secunda nostra periodus aperitur etiam quadam fundamentali explanatione quae plus minusve, directe vel indirecte, in posteriora commentaria permagnum exercuit influxum.

Antonius de Corduba, theologus insignis et quoad Regulae expositionem ultimis in saeculis principem locum occupans¹⁸⁰, primum codicis minoritici caput explicans, ad maiorem rei claritatem, omnia praecepta in Regula contenta singillatim et ordinate memorat eorumdem elenchum faciens. In ea, ait, possunt distinguere: 1) quae

¹⁷⁸ ALEXANDER ARIOSTUS, *Serena conscientia*, ed. *Monumenta Ordinis minorum*, Salmanticae 1506, tr. III, f.113v-145r.

¹⁷⁹ *Ibid.*, v.gr., q.1, f.116rv; q.8, f.118v; q.9, f.118v; q.10, f.119v.

¹⁸⁰ ANTONIUS DE CORDUBA, O.F.M., *Dilucida expositio super Regulam fratrum minorum*, Matriti 1616. Cf. A. LAMELA, O.F.M., *Aportación bio-bibliográfica en torno a fray Antonio de Córdoba*, O.F.M. (1485-1578), in *Liceo Franciscano* 6 (1953) 179-207.

sunt praeceptorie et inhibitorie imposita quaeque simul ab ipso recensentur; 2) quae sunt aequipollentia; 3) quae vim praecepti habent (ex verbo *teneantur*). Etsi expresse hoc non dicat, Antonius de Corduba ad hunc elenchum conficiendum in mente habuit quem Gundisalvus Hispanus immediate post bullam *Exivi de paradiso* redegit, cum tractatus editio habeatur in quibusdam collectionibus textuum franciscanorum a nostro auctore sollerter cognitis¹⁸¹.

Praecepta et inhibitoria sunt octo, quae omnimode concordant cum illis quae a Gundisalvo proclamata sunt, quamvis in numeris 5 et 6 ordo invertatur: sex praecepta et duo inhibitoria, scilicet: « *Et nullo modo licebit eis de ista religione exire* » (n. 1 Gundisalvi et Antonii de Corduba); « *Fratres nihil sibi approprient nec domum nec locum nec aliquam rem* » (n. 3 duorum auctorum); et addit cordubensis: haec appropriatio non potest fieri nec in particulari nec in communi¹⁸².

Praeceptis *aequipollentia* sunt *duodecim*, quae etiam omnimode concordant cum allatis a Gundisalvo, ideoque, ordine Clementis V relicto, Regulae capita sequuntur. Etiam hic invertitur ordo numerorum 2 et 3. Post duodecimum praeceptum, Antonius ait: « *In quo tamen multa obligatoria includuntur* »¹⁸³.

Quae *vim praecepti* habent in Regula sunt quatuor:

1. - « Si qui fratrum, instigante inimico, mortaliter peccaverint... *teneantur* praedicti fratres ad eos recurrere quam citius poterint sine mora » (c. 7, p. 69);

2. - « Universi fratres unum de fratribus istius religionis *teneantur* semper habere generalem ministrum » (c. 8, p. 70);

3. - « Et si aliquo tempore appareret... praedictum ministrum non esse sufficientem... *teneantur* praedicti fratres... in nomine Domini alium sibi eligere in custodem » (c. 8, p. 70 s);

4. - « In quo [generali capitulo] provinciales ministri *teneantur* semper insimul convenire » (c. 8, p. 70)¹⁸⁴.

Quamquam a quibusdam commentatoribus, ait auctor, alia tria praecepta virtualia memorentur, nihilominus reducuntur ad quatuor

¹⁸¹ ANTONIUS DE CORDUBA, *op. cit.*, c.1, q.1, f.25r-27r. De his collectionibus cf. I. CAMPELO, O.F.M., *De indulgentiis seraphici ordinis hodie vigentibus disquisitio historico-canonica*, ed. 3, Compostellae 1958, n.28-55, p.26-36; L. OLIGER, *Expositio Quatuor Magistro:um super Regulam fratrum minorum (1241-1242)*, Roma 1950, p.101-109.

¹⁸² ANTONIUS DE CORDUBA, *op. cit.*, c.1, q.1, f.25rv.

¹⁸³ *Ibid.*, f.25v-26v. Clemens V, *Exivi de paradiso*, sic annotat ultimum aequipollens praeceptum: « Item, omnia quae ponuntur in Regula ad formam habitus tam roviatorum, quam etiam professorum, necnon et ad modum receptionis, ad professionem spectantia, nisi recipientibus quoad habitum novitiorum, sicut dicit Regula, secundum Deum aliter videatur: haec, inquam, omnia sunt a fratribus tamquam obligatoria observanda » (a.3, n.2, p.238).

¹⁸⁴ *Ibid.*, f.26v-27v.

supradicta. Etenim quod in Regula asseritur de oboedientia successoribus beati Francisci¹⁸⁵ et ministro generali¹⁸⁶ praestanda, includitur in praecepto primae speciei sub n. 4 descripto. Similiter dicatur de ieiuniis in Regula sub verbo *teneantur* indirecte impositis¹⁸⁷, cum iam sub aequipollentibus (n. 5) sint enumerata. Immo praecepta capituli duodecimi, missiones, scilicet, non adeundi sine licentia ministrorum, et eam ab eis non concedendi nisi idoneis, proprie non sunt praecepta regularia sed iuris communis, ideoque hic non recensenda. Praeterea ultimum virtuale praeceptum (de ministrorum obligatione ad generale capitulum adeundi) aliqui auctores, ut redactor libri *Speculum fratrum minorum*¹⁸⁸, non memorant aut quia illis videtur non obligatorium aut quia cogitant id ceteris capituli octavi virtualibus mandatis iam inclusum. Antonius de Corduba, vero, id in enumeratione profert tum quia sufficienter non includatur in praedictis tum ad maiorem rei cognitionem¹⁸⁹. Notandum est tam tria praecepta virtualia ab Antonio de Corduba ut distincta non memorata quam duo capituli duodecimi de missionibus praescripta, ut praecepta a Gundisalvo Hispano fuisse recensita¹⁹⁰.

Igitur auctor, in celeberrima hac expositione quae decursu saeculorum permagnum obtinuit successum, viginti quatuor tantum admittit praecepta: *octo eminentia*, quorum sex praecepta simpliciter appellata, duo vero inhibitoria; *duodecim aequipollentia*, quorum ultimum « *multa obligatoria* » includit; *quatuor vim praecepti habentia*, quorum ultimum, etsi dubitanter, ad maiorem rei claritatem est recensendum.

Post Antonii de Corduba expositionem, quae lineam divisoriam inter antiquos et modernos Regulae expositores constituit, auctores substantialiter eiusdem admittunt doctrinam, ita ut possimus asserere commentatores directe vel indirecte pendere sive ex Gundisalvo sive ex Cordubensi, quamvis non desint qui ab illis dissentiant.

Ut aliqua afferamus exempla, Luis de Miranda, Gundisalvi opusculum lingua vernacula quasi ad pedem litterae in sua expositione transcribens, consequenter enumerat eiusdem praecepta¹⁹¹,

¹⁸⁵ « Et alii fratres *teneantur* fratri Francisco et eius successoribus oboedire » (*Regula*, c.1, p.63, ed. Ad Claras Aquas 1949).

¹⁸⁶ « Universi fratres... ei [generali ministro] *teneantur* firmiter oboedire » (c.8, p.70).

¹⁸⁷ « Aliis autem temporibus *non teneantur*, nisi sexta feria, ieiunare. Tempore vero manifestae necessitatis *non teneantur* fratres ieiunio corporali » (c.3, p.66).

¹⁸⁸ IOANNES DE ARGOMANES, O.F.M., *Speculum fratrum minorum*. Editiones quas novimus sunt sequentes: *Supplementum privilegiorum fratrum minorum*, Barchinonae 1523, in ultima parte, f.1r-22v; *Enchiridion seu manuale fratrum minorum*, Hispali 1523, f.30r-50v.

¹⁸⁹ ANTONIUS DE CORDUBA, *op. cit.*, c.1, q.1, f.27r.

¹⁹⁰ GUNDISALVUS HISPANUS, *Tractatus de praeceptis*, ed. *Monumenta Ordinis minorum*, Salmanticae 1506, tr. III, f.99r-100r.

¹⁹¹ LUIS DE MIRANDA, O.F.M., *Exposición de la Regla de los frailes menores*, Salamanca 1609, c.24, p.137-147.

eadem appellans praecepta *expressa et eminentia, aequipollentia et vim praecepti habentia*, quaeque sunt *viginti quinque* ¹⁹².

Petrus Navarrus, Antonii de Corduba vestigia premens, enumerat *viginti quatuor*, eandem omnimodam divisionem servans ¹⁹³.

Leander de Murcia annotat *viginti quinque*, Antonio de Corduba superaddens mandatum de oboedientia fratrum beato Francisco et eiusdem successoribus praestanda, in cap. 1 et 8 memorata. Ex altera parte Leander non sequitur cordubensis enumerationem, sed eam quae a Gundisalvo Hispano proposita est ¹⁹⁴, ex cuius doctrina etiam eruit duo praecepta a sancto patriarcha imposita occasione libertatis fratris concessae missiones adeundi, quaeque Antonius non admittit ut Regulae propria ¹⁹⁵.

Petrus Marchant admittit, praeter tria vota essentialia, *viginti quinque* praecepta nobis iam nota: septem formalia, duo inhibitoria, quatuor vim praecepti habentia et duodecim aequipollentia. Non desunt, ait, qui obligatoria multiplicant usque ad viginti octo, triginta novem aut quadraginta. Sed hoc est inutile et aliquando irrationabile, cum melius et facilius sit omnia comprehendere in breviori enumeratione. Sic, e.gr., praeceptum capitis decimi quod fratrum oboedientiam praescribit, includit duo mandata de oboedientia in capitibus primo et octavo relata. Idem dicendum de ieiuniorum ordinatione, quae unum praeceptum (non tria) constituit. Similiter sub unico mandato debent colligi omnia quae ad formam habitus et ad receptionis et professionis modum pertinent, quae in plurima praecepta aliqui dispertiunt ¹⁹⁶. Postea, primum Regulae caput commentans, affirmat fratres minores teneri *voto speciali* oboedire Summo Pontifici et Ecclesiae Romanae, sede vacante ¹⁹⁷. Eandem de praeceptis doctrinam tenet Franciscus Luengo ¹⁹⁸.

Martinus a Sancto Ioseph enumerat singillatim unumquodque praeceptorum, sed iam non sequitur Gundisalvi vel Antonii de Corduba elenchum, ea incorporans in tribus suetis divisionibus, sed simpliciter memorat viginti quatuor praecepta unum post alterum, Regulae capita omnino sequens; post undevicesimum mandatum (de oboedientia superioribus praestanda) clare affirmat fratres minores

¹⁹² *Ibid.*, c.23, p.147; c.25, p.154; c.27, p.165.

¹⁹³ P. NAVARRO, O.F.M., *Exposición de la Regla de N. Seráfico P. San Francisco*, Madrid [1641], c.1, q.1, p.28-31.

¹⁹⁴ LEANDRO DE MURCIA, O.F.M.Cap., *Cuestiones selectas regulares y exposición sobre la Regla de los frailes menores*, Madrid 1645, c.1 super c.1 Regulae, § 2, p.2b-3b.

¹⁹⁵ *Ibid.*, 4a.

¹⁹⁶ P. MARCHANT, O.F.M., *Expositio litteralis in Regulam S. Francisci*, Antuerpiae 1631, titulus I prooemialis, q.4, p.15 s.

¹⁹⁷ *Ibid.*, c.1, p.46 ss.

¹⁹⁸ F. LUENGO, O.F.M., *Controversiae viginti quinque super Regulam fratrum minorum*, Compluti 1642, Controversia II prooemialis, p.24b-25a.

voto speciali obligari ad oboedientiam Papae et Ecclesiae Romanae praestandam¹⁹⁹.

Georgius a Villefranche fratrum minorum graves obligationes ad tria capita reducit: ad vota essentialia, ad specialem promissionem Papae oboediendi et ad praecepta proprie dicta. Haec ultima in quatuor dividuntur species, de quibus accuratum elenchum refert: in praecepta *formalia* vel *eminentia* sub verbis positivis relata; in *prohibitentia* sub verbis negativis intimata; in eisdem *aequipollentia*, et in *virtualia*, sub verbo teneantur praescripta²⁰⁰. *Praecepta formalia* sunt sex, quae sex praeceptis ab Antonio de Corduba expressis correspondent, quaeque omnia sub verbis *praecipio firmiter* (quinque) et *per oboedientiam iniungo* proponuntur. *Praecepta prohibitentia* sunt duo, a Cordubensi ut inhibitoria allegata. *Praecepta aequipollentia* sunt viginti et unum, quorum duodecim priora cum Gundisalvi Hispani et Antonii de Corduba concordant (praeceptum de officio divino in duo praecepta tamen evolvit, scilicet, pro clericis et pro laicis)²⁰¹; cetera novem praecepta sunt casus concreti duodecimi praecepti a Clemente V relati²⁰² et iam ab Antonio de Corduba expresse declarati his verbis: « *In quo tamen multa obligatoria includuntur* »²⁰³. *Praecepta virtualia* sunt sex: ieiunium quadragesimae maioris, ieiunium feriae sextae, et quatuor ab Antonio de Corduba iam notata. Auctor nominatim loquitur de triginta quinque proprie dictis praeceptis, praeter specialem promissionem Papae et Ecclesiae Romanae oboe-

¹⁹⁹ MARTÍN DE SAN JOSÉ, O.F.M., *Breve exposición de los preceptos*, Zaragoza 1638, p.369-382.

²⁰⁰ GEORGES DE VILLEFRANCHE, O.F.M.Cap., *Exposition de la Règle des frères mineurs*, Toulouse 1893, p.XXXI s.

²⁰¹ In praecepto aequipollenti ieiuniorum auctor includit tantum quadragesimam Nativitatis Domini. Alia ieiunia recensentur inter praecepta virtualia (*ibid.*, p.XXXIV s).

²⁰² Sunt sequentia: 1) « Si qui voluerint hanc vitam accipere et venerint ad fratres nostros, mittant eos ad suos ministros provinciales, quibus solummodo et non aliis recipiendi fratres licentia concedatur » (c.2, p.64); 2) « Ministri vero diligenter examinent eos de fide catholica et ecclesiasticis sacramentis » (c.2, p.64); 3) « Et si haec omnia credant et velint ea fideliter confiteri et usque in finem firmiter observare » (c.2, p.64); 4) « Et uxores non habeant, vel, si habent, et iam monasterium intraverint... et illius sint aetatis uxores, quod non possit de eis oriri suspicio; 5) « Dicant [ministri] illis verbum sancti Evangelii, quod vadant et vendant omnia sua et ea studeant pauperibus erogare » (c.2, p.64); 6) « Et caveant fratres et eorum ministri ne solliciti sint de rebus suis temporalibus » (c.2, p.64); 7) « Postea concedant eis pannos probationis, videlicet, duas tunicas sine caputio et cingulum et braccas et caparonem usque ad cingulum » (c.2, p.65); 8) « Finito vero anno probationis recipiantur ad oboedientiam, promittentes vitam istam semper et regulam observare » (c.2, p.65); 9) « Et illi qui iam promiserunt oboedientiam, habeant unam tunicam cum caputio et aliam sine caputio qui voluerint habere » (c.2, p.65). Clemens V, *Exivi de paradiso*, iam proclamaverat: « Item, omnia quae ponuntur in Regula ad formam habitus tam novitiorum quam etiam professorum, necnon et ad modum receptionis, ad professionem spectantia, nisi recipientibus quoad habitum novitiorum, sicut dicit regula, secundum Deum aliter videatur » (*Exivi*, a.3, n.2, p.238).

²⁰³ ANTONIUS DE CORDUBA, O.F.M., *Dilucida expositio super Regulam fratrum minorum*, Matriti 1616, c.1, q.1, f.26v.

diendi et tria vota substantialia, quae omnia constituunt triginta novem obligatoria ²⁰⁴.

A saeculo igitur XVI ad nostra usque tempora, ut ex exemplis allatis demonstratur, auctores diversum praeceptorum numerum exhibuerunt, sed possumus affirmare generaliter doctores viginti quatuor vel viginti quinque iam ab Antonio de Corduba annotata praecepta admisisse ²⁰⁵, inter quae, iuxta aliquos, octo vel novem expressa, quatuor virtualia et duodecim aequipollentia ²⁰⁶; iuxta alios vero, septem formalia, duo inhibitoria, quatuor virtualia et duodecim aequipollentia ²⁰⁷. Ipsa legislatio non semel loquitur de numero praeceptorum. Sic, e.gr., constitutiones sambucenses affirmant Regulam continere septem praecepta formalia, duo inhibitoria, quatuor vim praecepti habentia et duodecim aequipollentia, id est, viginti quinque ²⁰⁸. Auctores qui maiorem numerum proponunt, in primis evolvunt duodecimum aequipollens praeceptum, in quo, ut diximus, iuxta Antonium cordubensem, « multa obligatoria includuntur » ²⁰⁹. Ut aliquod explicitemus exemplum, Antoninus a Patti recolit decem et septem ²¹⁰, Ludovicus a Paris, viginti et unum ²¹¹, cuius doctrinam supra memoratus Georgius de Villefranche secutus est.

Si a saeculorum praecedentium auctoribus ad hodiernos descendamus expositores, has praecipuas invenimus sententias.

Trienekens, bullis Nicolai III et Clementis V explicite in-nisus, viginti quatuor enumerat praecepta eaque dividit in quatuor species, scilicet, in praecepta formalia (sex), inhibitoria (duo), virtualia (quatuor), aequipollentia (duodecim); in his ultimis enumerandis sequitur stricte Regulae divisionem, ita ut duodecimum a Clemente V memoratum hic primum occupet locum, cum de secundo

²⁰⁴ GEORGES DE VILLAFRANCHE, *op. cit.*, p. XXXI s, XXXIX.

²⁰⁵ V. gr., MIRANDA, NAVARRO, LEANDER DE MURCIA, MARCHANT, LUENGO, MARTÍN DE SAN JOSÉ, *locis citatis*; ALBERTUS A BULSANO, O.F.M. Cap., *Expositio Regulae FF. Minorum*, Mediolani 1889, Introductio, § 5, p. 12 s; ANDRÉS DE VILLODRE, O.F.M., *Breve exposición de la Regla de nuestro padre san Francisco*, Madrid 1722, p. 19-23; L. ORTIZ, O.F.M., *Compendium declarationum... super evangelicam Regulam seraphici patris nostri Francisci, Matris 1585*, c. 2, conclusio 5, f. 82r-84r; ANTONIO DE SANTA MARIA, O.F.M., *Manual sumario de la Regla de los frailes menores*, Madrid 1583, f. 18v-21r; J. NIÑO, O.F.M., *Memorial de los preceptos*, Salamanca 1622, p. 8-15.

²⁰⁶ Cf., v. gr., MIRANDA, NAVARRO, LEANDER DE MURCIA, VILLODRE, ANTONIO DE SANTA MARIA, ALBERTUS A BULSANO, *locis citatis*.

²⁰⁷ Cf., v. gr., MARCHANT, LUENGO, *locis citatis*.

²⁰⁸ *Constitutiones sambucenses an. 1663*, in *Chronologia historico-legalis*, II, Venetiis 1718, in fine, p. 5a-5b; Cf. *Constitutiones conventualium an. 1932*, p. 1-10 ad calcem.

²⁰⁹ ANTONIUS DE CORDUBA, *Dilucida expositio super Regulam fratrum minorum*, Matrissi 1616, c. 1, q. 1, f. 26v.

²¹⁰ ANTONINO DA PATTI, O.F.M., *Considerationi et esposizione sopra tutti li precetti della Regola de' frati minori*, Venetia 1615, Consideratione sesta, n. 53, p. 82 s.

²¹¹ LOUIS DE PARIS, O.F.M. Cap., *Exposition littéraire de la Règle des FF. Mineurs*, Paris 1623, p. 50.

codicis minoritici capite agatur²¹². Kazenberger - Iglesias viginti quinque recensent mandata, in quatuor classes distributa, hoc est: in septem praecepta formalia (additur oboedientia Papae et Ecclesiae Romanae), duo inhibitoria, quatuor vim habentia ed duodecim aequipollentia, ordinem Regulae sequentes, postremo excepto praecepto²¹³. Albertus a Bolzano tres distinguit praeceptorum species: novem praecepta eminentia (hic includuntur et septem formalia et duo inhibitoria aliorum doctorum)²¹⁴, consueta quatuor virtualia et duodecim aequipollentia iuxta ordinem Regulae²¹⁵. Idem affirmat Richardus a Lizaso, eiusdem brevior²¹⁶. Fulgentius de la Mata eandem tenet sententiam²¹⁷. Bernardinus a Siena, Gundisalvum Hispanum explicite sequens, eandem divisionem offert, sed cum recentioribus iam affirmat codicem minoriticum continere viginti quatuor praecepta: octo eminentia, quatuor virtualia et duodecim aequipollentia²¹⁸. Bianchini vero, quamvis doctrinam viginti quatuor praeceptorum in tres memoratas species divisorum acceptet, tamen brevitatis, claritatis et facilis intellectionis causa in duas classes ea dividit, scilicet, praecepta quae omnes fratres respiciunt et mandata quae tantum superiores attingunt. Prima sunt vel negativa (undecim) vel affirmativa (septem). Secunda species sex continet praescripta²¹⁹.

Haec sunt quae *historice de descriptione* et de numero praeceptorum in Regula franciscana contentorum, possunt dici.

In primis animadvertendum est bullam Clementis V, *Exivi de paradiso* nuncupatam, non fuisse fontem praeceptorum, ut non semel sine ullo fundamento dictum est, cum auctores saeculi XIII iam admiserint praecepta eminentia seu expressa, virtualia et non pauca aequipollentia.

Secundo, practice post bullam *Exivi de paradiso* materia praecep-

²¹² I. TRIENEKENS, O.F.M., *Expositio canonico-moralis Regulae fratrum minorum*, Mechliniae 1948, n.117-121, p.69-73.

²¹³ K. KAZENBERGER, O.F.M. - A. IGLESIAS, O.F.M., *Liber vitae seu Regulae S. Francisci expositio*, Romae 1954, quaestio prooemialis 5, p.33 ss.

²¹⁴ ALBERTUS A BULZANO, *Expositio Regulae FF. Minorum*, Romae 1932, n.13, p.41.

²¹⁵ *Ibid.*, n.13, p.42 s.

²¹⁶ RICARDO DE LIZASO, O.F.M.Cap., *Exposición de la Regla de los frailes menores*, Pamplona 1939, p.241 ss.

²¹⁷ FULGENCIO MARÍA DE LA MATA, O.F.M.Cap., *Breve exposición literal de la Regla de los FF. Menores de san Francisco*, Madrid 1933, p.25 ss. In ultimo aequipollenti praecepto animadvertit expresse: « En todo lo cual hay comprendidas muchas cosas obligatorias bajo grave » (p.27).

²¹⁸ BERNARDINO DA SIENA, O.F.M.Cap., *Esposizione della Regola francescana*, Roma 1959, n.60-63, p.33 s.

²¹⁹ E. BIANCHINI, O.F.M., *La Regola dei frati minori*, Milano [1956], p.7 ss.

torum quasi unanimiter recipitur, etsi eorundem numerus aliquoties, in primis saec. XIV et XV, variaverit, cum aliqui auctores eandem materiam distinctis praeceptis diviserint.

Tertio, nobis videtur quod quaestio *de numero* praeceptorum debet hodie ex novo considerari ex diversis causis: tum quia non semper auctores loquantur de relatione inter vota regularia et praecepta, tum quia simpliciter non potest admitti sine vero fundamento Regulam franciscanam imponere novum praeceptum ubi ius naturale vel Ecclesia id iam proponunt. Aliud enim est quod legislator imponat specificè quod iam praeceptum sit, aliud vero quod illud memoret. Nobis videtur Regulae praecepta non multiplicanda sed simplificanda esse quoties ex Regula non constet esse vera praecepta specifica. Sic, ut aliqua afferamus exempla, non possunt simpliciter admitti ut praecepta Regulae distincta: prohibitio appropriationis individualis in capite sexto Regulae, ut aliqui auctores asserunt, cum iam hoc ex voto paupertatis deducitur; oboedientia superioribus praestanda, in capite decimo, cum reducatur ad votum oboedientiae; egressus ab Ordine, in capite secundo, cum hoc impositum sit non ex Regula sed « *iuxta mandatum domini papae* »; suspectorum consortiorum evitatio, in capite undecimo, cum hoc interdictum sit proprie non a Regula sed a iure naturali, ratione vel sexti mandati vel scandali; sollicita infirmorum cura, in capite sexto, cum omnimode pendeat a iure naturali... Ideoque, sub hoc respectu, desideratur scientifica Regulae expositio.

Quarto, immo nobis videtur non posse negari hodie convenientiam instituendi scientificum studium circa praecepta sic appellata aequipollentia, cum ex fontibus franciscanis non omnia de argumento sint clara. Et, etiam sub hoc respectu, *numerus* praeceptorum potest mutari.

Quinto, iuxta aliquos hodiernos auctores ad trutinam revocanda est et ipsa obligatio praeceptorum. Si de hac materia solidum et scientificum redigatur studium, nihil dicendum; sed etiam asserendum aliqua minoris momenti de argumento scripta prolata, nimia superfluitate redolere.



